

DE
DIAGNOSI ET CURA
PEMPHIGI.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU AMPLISSIMI MEDICORUM
ORDINIS

IN

UNIVERSITATE CAESAREA LITERARUM
DORPATENSI

UT GRADUM

DOCTORIS MEDICINAE

RITE ADIPISCATUR


LOCO CONSUETO

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

EDUARD ADOLPH DE PANCK

CURONUS.



DORPATI LIVONORUM

EX OFFICINA ACADEMICA J. C. SCHÜNMANNI
MDCCCXXV.

VIRO

AMPLISSIMO ET DOCTISSIMO

OTTONI GUILIELMO DE PANCK

MEDICINAE ATQUE CHIRURGIAE DOCTORI,

P A T R I

SUMMA AD CINERES USQUE PIETATE
COLENDO, DILIGENDO, VENERANDO,

OB

INNUMERA AMORIS PATERNI SIGNA ET BENE-
FICIA IN SE COLLATA,

Imprimatur,

ea tamen conditione, ut, simulac typis excusa fuerit
haec dissertatio, septem exemplaria collegio, cui censu-
ra librorum mandata est, tradantur.

Dorpati Livonor. die 11. m. Dec. mDCCCXXV.

Dr. L. A. Struve,

h. t. Decanus.

NEC NON

VIRO
PERILLUSTRI ET ERUDITISSIMO
JOAN. CAR. FRED. DE BEYER
MEDICINAE ATQUE CHIRURGIAE DOCTORI, COLLEGO,
ASSESSORI,

OB
EXQUISITAM IN ARTE MEDICA EXPE-
RIENTIAM ET DOCTRINAM,

HOCCE SPECIMEN INAUGURALE IN PERPE-
TUUM GRATI ANIMI ATQUE OBSER-
VANTIAE DOCUMENTUM

OFFERT

AUCTOR.

P r a e f a t i o.

Summos in medicina honores expetiturus, quale ad dissertationem conscribendam elegerit argumentum, minoris profecto momenti videtur, quomodo autem illud pertractaverit, magni haud dubie interest. Quare excusatione haud egere existimamus, quod penphigi imaginem adumbrare nobis proposuimus, quum imprimis morbum illum rariorem observandi occasio oblata nobis fuerit; sed imperfectae laboris nostri rationis probe memores, Lectorem Humanissimum, antequam paginas sequentes perlustret, iterum atque iterum rogatum volumus, ut opusculi nostri mendis benigne indulgeat. Pro virili parte operam dedimus, ut, quae proferremus, fini suo responderent; quodsi minus successerit, in magnis voluisse sat esto.

In ipso vero laboris nostri vestibulo, non possumus quin ex intimo pectore gratias agamus praeceptori nostro, summe venerando, Viri Celeberrimo, Prof. Dr. L. A. Struve, qui non observationes solum, hocce de morbo institutas, lubenter nobiscum communicavit, sed plura adhuc amicitiae et favoris documenta nobis exhibuit, nec minus Viris Humanissimis, quibus adjuvantibus, dissertationi nostrae typis excudendi copia facta est. Pia grataque memoria horum Maeenatum in nos merita in aeternum prosequemur,

CAPUT I.

Morbi historia.

Liesa, puella Esthonica, viginti annos nata, flava, constitutionis mediae et bonam prae se ferens valetudinem, d. V. Augusti, Ann. MDCCCXXIV in nosocomium Universitatis Caesariae Dorpatensis recepta est. Quatuordecim abhinc dies fortiori frigore febriculoso correptae, crura, eo cessante, dolere et tumescere incipiebant. Doloribus vero perseverantibus, in utroque crure tres assurgebant vesicae discretae, ovi gallinaei parvi magnitudinem aequantes, limpido repletae laticae, quae superiorem magis cruris partem, suraeque latus occupabant ex-

ternum. Tribus vel quatuor diebus praeterlapsis, vesicae vel disruptae sunt, vel contentum illarum resorptione auferebatur, qua de re aegroti certiores nos facere non potuit. Rubescencia adhuc cruris loca vesicarum indicabant sedem. Quae maculae, magnitudinem monetae, quae rubuli argentei nomine insignitur, referentes, partim glabrae, partim corrugata cum epidermide tectae erant, Pulsus, nunc fortis, modice frequens, nonaginta duos per horae minutum ictus absolvit. Doloribus insuper aegroti articularum, cephalalgia prementate, in regione praecipue frontali, photophobia, lingua muco albedo oblecta, tonsillis denique tumidis laborabat, et ubique ita rubefactae et dolentes fauces erant, ut aegre tantum cibos deglutire posset. Profundior inspiratio dolores sub sternum excitabat, qui etiam regionis ventriculi pressionem secuti sunt; neque tamen gravis haec inspiratio ullam provocavit tussim, quod certissimi instar argumenti est, organa respirationis haud affecta fuisse. Deerat appetitus et alvi deiectiones consistentia praeditae erant majori. Affectio characteris rheumatico-catarrrhalis perspicue nunc praebat speciem, et febrem, quae vesicarum

precedebat eruptionem, eandem servasse naturam, jure suspicandum, si vel ad conditionem aegrotae tunc temporis obtinentem, respicias, vel experientiam consulas, quae febrem, pemphigi eruptionem comitantem, saepissime characterem rheumatico-catarrrhalem ostendere, evincit. Cum febris, tantummodo modicae, et simul alvi tardae ratio habenda esset, ad usum internum Natr. sulphurici nos convertebamus, quod remedium ambabus indicationibus, remotioni puta febris alvi que impeditae, cum per vires modice antiphlogisticas, tum alvum ducentes, satisfacit. Pro gargarismate Deoct. Rad. alth. cum Oxymel. simpl. ordinatum. Horum remediorum prospere succedebat usus; post nonnullos enim dies multa jam, quae supra monuimus, symptomata evanescere, plura mitiora facta sunt. Aegrotae, fortioribus ad caput vexatae congestionibus, ad dextrum colli latus, quia hic etiam majores sentiebantur dolores, felici cum successu quinque applicatae sunt sanguisugae. Evolutio exigua pemphigi in cute, affectionis faucium simultaneae causa esse videbatur, quare angina magis tanquam specifica, quam mere catarrrhalis erat consideran-

da. Contra dolores rheumaticos, diaphoretica mixtura et linimento volatili serius adhibitis, puella d. XIX. Augusti in integrum restituta, domum dimissa.

Sexto die Decembris ejusdem anni, puella denuo medicam imploravit opem. De deglutiendi difficultate, adpetentiae ciborum defectu, vomitionibus per vices intransibus, linguae doloribus, stranguria, et subrubentis urinae excretionem conquirebatur. Cavum oris investigatum, tonsillas tumidas, pharyngem rubescentem et turgidam, linguam vero flava massa obiectam, offerebat, quam massam, inspectione diligentius instituta, epidermidem esse incrassatam, flavo colore tinctam atque se desquamantem, judicabatur. Labiorum epidermis eodem se habebat modo, et cum forcipe linguae epidermis facillime detrahi potuit, quo facto, linguae substantia incolumis, nimis tamen rubefacta sensibilisque apparuit. E vagina profuit latex sanguineo-mucosus, odorem penetrantem spargens, et acris, ita ut omnes partes genitalibus confines, arrosae essent, et vehementer dolerent. Genitalium status virginalis haud deletus.

Aegrotam nostram, jam pluries linguam tali modo se desquamasse, contendit, an vero huic epidermidis excoriationi vesicae antecesserint nec ne, ignoravit. Minime quidem mirandum, puellam, nimis phlegmatico praeditam temperamento, morbi symptomata non assidue observasse, quod quidem necessarium fuisset, cum vesicae, pemphigo in cavo oris erumpente, minus excultae sint, et per breve temporis spatium tantum permaneant. Quin illa linguae excoriatio varias in cavo oris pemphigi eruptiones secuta sit, minime igitur dubitavimus, cum puella nostra non solum prius perspicue pemphigo laborasset, et facillime recidivum hunc morbum fieri, experientia doceat, sed juxta alia etiam symptomata, affectio linguae et cavi oris localis ita se haberet, ut alii pemphigi observatores jam animadvertentur 1). Fluxus menstruus hac hebdomade apud aegrotam nostram intraverat, mucus itaque sanguine mixtus atque

1) C. G. C. Braune, Versuch über den Pemphigus und das Blasenfieber. Leipzig 1795. p. 10.
J. C. Reil, über die Erkenntnis und Cur des Fiebers. Halle 1815. B 5. p. 420.

urina rubescens, ab illo pendere videri posset, sed observatio, fluxum illum sanguineo-mucosum assiduo, imo in novo quovis morbi regressu adfuisse, odore quoque peculiari et penetranti comitatum, opinioni huic obstabat. Novarum eruptionum causae, infaustis vitae conditionibus, in quibus puella versabatur, adscribendae; non pravis solum fruebatur alimentis, sed humido etiam frigidoque domicilio utebatur, et eiusmodi pertractabat negotia, quae quotidie vestes madefacerent. Aegrotorum numerus in clinico acad. stabilitus jam completus, quo minus recipieretur impedit, serius igitur redire iussa est, illique, ut aliquid fecisse videremur, Liq. Ammon. acetic. uncias nonnullas propinavimus; quo facto, dimissa fuit. Partes ut diligenter lavaret excorticatas et os cum remedio eltheret mucilaginoso, insuper ei commendavimus.

Septimo Maii MDCCCXXV demum aegrotata reversa et denuo in nosodochium recepta est. De aegritudine universali cum doloribus rheumaticis articulorum et spastica musculorum tensione conquesta est. Excretio urinae imminuta erat et vesica urinaria manu fortius pressa, justò

majorem ostendit sensibilitatem. Plures glandularum axillarum et inguinalium tumuere, et fluxus malignus sanguineo-mucosus, jam supra memoratus, denuo adfuit.

In femoribus duae, furunculis similes pustulae apparebant, et in dextro natium latere maculae, crustis tectae tenuibus, inveniebantur, a pustulis prioribus residuae. Affectiones in conspectum veniebant abdominales, cum doloribus in regione ventriculi et umbilici tractoriis, tensione abdominis totius, praecipue regionis vesicae urinae, lingua albedo colore tecta, defectu appetitus, et alvo obstipata. Contra molestias illas, inflammationi vicinas, Decoct. aven. excortic. cum Tartar. tartarisat. ordinatum, pro inunctione in glandulas dolentes Ol. Hyosciam. cum camphora, et in vaginam injectio purgatoria. Hac curatione alvi excretio mox facilior reddebatur, mingendi difficultas imminuebatur, glandulae tantummodo regionis inguinalis sinistrae tumidae adhuc remanebant.

Ximo Maii tumor glandularum nimis auctus, absque ullo rubore, et dolores atroces, applicationem hirudinum indicabant. Vespertino tem-

pore Unguent. mercuriale inungebatur, et per diem fomentationes tepidae adhiberi jubebantur. Sequenti die aegrotā doloribus vexata erat vehementibus ventriculi, tensionem scrobiculi cordis, et vomitum, pluries redeuntem, perpessa est. Quae symptomata Emulsione semin. papav. alb. et Sal. amar. remota sunt. Secretio urinae minima erat. Infus. flor. chamomil. tantum praebebatur eo consilio, ut aliquamdiu observaretur, sed status aegrotae in pejorem partem vertebatur, inquietudine laborabat, pulsus tensus, urinae secretio quam maxime parca, mucī fluxus copiosus, alvus adstricta et regio ventriculi et vesicae urinariae contacta dolebat, quare denuo Decoct. aven. excortic. cum Tart. tart. adhibebatur, cum vomitus autem excitaretur, et aegrae conditio spasmodici aliquid ostenderet, loco Decocti, aqua menth. piperit. eligebatur, porro pediluvium, cinere admixto irritabilius factum, et ad regionem ventriculi sinapismus ordinabatur. Hisce remediis adhibitis, aegrotā melius se habere coepit; alvum rite deiecit, dolores ventriculi et mucī fluxus evanere; appetitus rediit, et urina mediocri tantum cum molestia missa est, ita ut XXI^{mo} Maii periculum

cum Infus. bac. junip., ad organorum uropoëtorum actionem magis augendam, factum fuerit. Dolores ventriculi autem fortiores redibant, vesica urinaria tensa erat et dolorosa, atque urina cum cathetere evacuanda, quo facto, dolores mitigati sunt. Praeterea clyisma, hirudines ad glandulas inguinales, serius fomentationes tepidae et pro usu interno Sal. amar. cum Emuls. oleosa praescribebatur. Vomitus, mixtura illa orrus, adposito Exir. hyosciam. sedatus. Diebus nonnullis exactis, omnia sublata sunt medicamina, cum puella optime valeret. Octavo Junii dimissa.

Urina aegrotae nostrae bis chemice indagata est. Illa, quae tertio; postquam aegrotā recepta erat, die mittebatur 4,3 Acid. phosphoric. continebat; cum aegrotā jam melius valeret, et urinae secretio largior facta esset; 5,2 tantum hujus acidi inveniebatur.

Septimo Augusti anni ejusdem, quarta vice puella nobis se obtulit. Doloribus capitis pectorisque, minguendi difficultate, glandula sinistrae regionis inguinalis tumefacta, vehementer dolente, mucī fluxu sanguineo vaginae, per vices tussi modica, scretus potius nomine designanda, qua

latex sanguineus ejiciebatur, lingua obducta, alvo adstricta, laboravit, gravis tamen irritatio organorum abdominalium; antecedentem morbi impetum comitans, plane defuit. Pulsus aliquantum irritatus, septuaginta per horae minutum continuus ictus. Nusquam vesicae observatae sunt, omniaque haec mala tanquam internae irritationis symptomata erunt consideranda, quae cum pemphigi eruptionibus causaliter nexa sint, jam prius similibus aequalibusque phaenomenis interna atque externa pemphigi eruptione facta. Mensium fluxus normalis.

Pro usu interno Sal ammoniac. datum, quod remedium, membranarum mucipararum affectioni tam late patenti, quae tussis brevi, mucis excretionis sanguinea e bronchiis et trachea, mucis fluxu genitalium itidem sanguineo; lingua obducta, alvo adstricta, se exerebat, quam maxime congruum, sed minoris pretii quoad successum, cum aegrotae conditio alternando et melior et pejor fieret. Octo diebus praeterlapsis, molestiisque organorum abdominalium cum torporis indole magis exultis, Sal amar. cum Extr. trifibrin. porrigebatur, mox autem colica cum sen-

sibilitate, regionis ventriculi aucta, inflatione abdominis et diarrhoea, salis remotionem requisivit, et symptomata gastrica, Extr. amar. adhuc per dies nonnullos adhibito, disparuere. Illa pathemata, cum pemphigo pridem erupto, nunc autem in cute non apparente, nexu quodam conjuncta, et hocce malum quasi metastaticum considerandum esse, impeditum saltem fuisse processum, quo pemphigus ad cutem eliminari posset, Prof. clinices, praecceptor meus, summopere colendus, Dr. L. A. Struve, persuasus, actionis cutaneae, formationi vesicarum pemphigi analogae, provocatione, irritationem organorum internorum morbosam ad cutem dirigere sibi proposuit. Quem ad finem decimo quinto Augusti ambabus brachiorum partibus superioribus Empl. tantharid., palmae ambitum aequantia, imposita sunt, quibus sequentibus diebus adhuc quatuor alia ad latus femorum internum et suras applicata, addebantur. Per quatuordecim fere dies, vesiculis apertis, ut fortis provocaretur irritatio, haec emplastra cuti adhaeserunt. Quae agendi ratio secundum manifestavit effectum; simulac

enim partes irritatae suppurare incipiebant, puo foetidum et saniosum magis quam benignum fundentes, irritationis internae phaenomena, sensim sensimque recedentia, omnino denique sublata sunt. Genitalia et organa respirationis non amplius sanguinem secreverunt, alvus constitit, appetituque in dies aucto, virium integritas restituta, corporis jam jam macie correpti, volumen auctum est. Vigesimo septimo Augusti affectio organorum pulmonalium cum ejectione sanguineo-mucosa apparuit, applicato autem vesicatorio inter scapulas sanata, glandula inguinalis tumida, imposito Empl. gum. ammoniac. resoluta. Mense Augusti ad finem vergente, partes, ubi vesicatoria haeserant, jam crustis, quas suppuratio subiebat, obiectae reperiebantur, cataplasmate vero emolliente ab illis liberatae sunt. Quo facto, et fonsicula e vulnere alterius brachii formato, cura tandem, ut organismi fibris tonus intensior impertiretur, cum Extr. chin. et Trifol. fibrin. finita et puella dimissa est, cum et illa et medicus nulla sanitatis turbatae indicia amplius animadvertent.

Sanationem constantem futuram, vix credi-

derim. Puellae enim ad pristinam conditionem revertendum, erat, in qua non minus momentorum noxiorum actioni exposita erit, quam antea. Quae, cum vel saepe puellae organismum, ita afficere potuerint, ut pemphigus excoleretur, quid tandem expectandum, si frequentiori mali regressu dispositio morbosa jamjam relicta fuerit. Serius ocius haud dubie morbus revertet, nihilo secus vero sanandi methodus minime vituperanda.

Quodsi observata, hic cum lectoribus communicata, paucis verbis complectimur, mox animadvertimus, morbum primo impetu quam maxime fuisse febrilem, sine perspicuis in sphaera reproductiva et urinae secretionibus, simul vero decursum fecisse celeriore. Serius plura organa systematis reproductivi et uropoetici jam affecta erant, et denuo experientia saepissime facta, relationem inter pemphigum secretionemque urinae arctiorem esse, comprobata. Eruptio nunc in cavo oris apparebat, cutis e contrario incolumis erat, morbi decursus magis chronicus. Cum aegrotata tertio auxilium nostrum impleraret, phaenomena, modo commemo-

rata, aucta erant, aliaque adhuc accesserant; eruptio, quamvis imperfecta, loca occupaverat externa, et argumento nobis erat, pemphigum inter externas et internas corporis partes alternare. Praeterea, quam caute ad pemphigi sanationem diureticis, lenioribus adeo, utendum, cum jam Infus. bacc. junip. celerrime aegrotae conditionem depravaret, certiores facti sumus. Postremo conspicua vesicarum eruptio deerat, nihilo minus suspicio movebatur, morbum ad partes internas imprimisque ad respirationis organa regressum esse, quorum dolores in pectore pungentes tassisque cum ejectione sanguineo-mucosa, comprobant affectionem. Quodsi vesicarum formatio ob diversam partium organisationem, haud perfecta fuerit, attamen morbosa organorum respirationis irritatio a pemphigo pendere potuit, cum omnia inprimis phaenomena praesentia ita se haberent, ut antea, ubi re vera adfuerant vesicae, vel saltem pemphigi eruptio imminerebat. Rebus ita comparatis, evidentissimo cum effectu vesicatoria adhibebantur, atque quaestio, num ulcera ad sanandum pemphigum prosint artificialia, hisce nostris observatis solvitur. Minime enim sunt

negligenda, cum semel jam prospero cum successu adhibita fuerint.

Caput II.

Morbi descriptio.

§. 1.

Quo saepius in universum curiosis disciplinae nostrae investigatoribus morbi obviam sunt exanthematici, atque ab illis observati sunt, eo rarior illa, cujus indagacionem accuratorem nunc aggredimur, forma; quod jam Cl. Wichmann²⁾ sequentibus contendit verbis: „Diese Krankheit ist so selten, daß sie oft weit ältere Aerzte, als ich bin, niemals selbst zu sehen Gelegenheit gehabt haben.“ — Qui mali raritati quoque ad-

2) J. E. Wichmann, Beitrag zur Kenntniß des Pemphigus. Erfurt 1791. p. 5.

scribendum videtur, quod in veterum scriptis nihil hocce de morbo invenimus diligentius disquisitionem et exploratum. Novissimi temporis medicorum tantum, v. g. Ill. Wichmann, Braune, Reil, Haase 3), meliorem hujus morbi cognitionem acceptam referimus.

Varia tribuerunt morbo nomina, quae, ne quid omisisse videamur, hoc loco afferemus, quae sunt: Pemphigum (α πύμφιζ, bulla), eum vocat Sauvages 4), Febrem catarrhalem vesicularem, Delius 5), Hydatides, C. Piso 6), Feb. bullosam, Selle, Vogel 7), Feb.

-
- 3) W. A. Haase, über die Erkenntnis und Cur der chronischen Krankheiten. Bd. 3. Abth. 2. 1820. p. 317.
 - 4) Francisco Boissier de Sauvages, Nosologia methodica, T. 1. Amstelodami 1768. p. 420.
 - 5) Delius, Amoenitates medicae, Dec. 1. Cas. 9. p. 71.
 - 6) C. Piso, De morbis a serosa colluvie ortis, Observ. 150.
 - 7) Selle, Neue Beiträge zur Natur- und Arznei-Wissenschaft. Berlin 1782. Tbl. 1. p. 103; Vogel, De cognoscendis et curandis corporis humani affectibus §. 159.

pemphigoden, Seeliger 8), Morbum phlyctenoiden, Burserius de Kanifeld 9), Mortam, Linné 10), Feb. vesicularem, Macbride 11); Dattre phlyctenoïde, Alibert 12) Pompholygem, Bateman 13). His denominationibus praestat vocabulum Pemphigus, (Blasenkrankheit), statim mentem signis morbi pathognomonicis advertens, et nihil falsi, ut nomen „Hydatides, Morta“ subindicans.

-
- 8) Seeliger, Ephem. nat. curios. germanic. Dec. 1. Ann. 8. Obs. 56.
 - 9) Burserius de Kanifeld. Institut. medic. practica. Vol. 2. Lipsiae 1798. p. 92.
 - 10) Linné, Genera morborum. G. 1. Cl. 1. Ord. 1.
 - 11) Macbride. Introduct. method. in theor. et prax. medicam. Tom. 2. lib. 1. Cap. 18.
 - 12) Alibert. Précis theorique et pratique sur les maladies de la peau. T. 1. Paris 1818. p. 277.
 - 13) Bateman, praktische Darstellung der Hautkrankheiten nach Willan's System aus dem Engl. von Haneman, mit Vorrede und Anmerk. von Kurt Sprengel. Halle 1815. p. 225.

tendere possumus, morbum nunc pemphigum nunc vero non esse; nonne potius ambo pemphigi nomine designandi, qui eo duntaxat differt, quod vasorum atque nervorum systema in casu priori magis perspicue quam in altero affectum sit, cujus in irritabiliori et sensibiliiori aegroti constitutione atque mali novitate, causa quaerenda? Eodem jure rheumatismum acutum et arthritidem acutam, quatenus cum febre conjuncta essent, rheumatismum et arthritidem vocare haud liceret, quod tamen signa pathognomonica exposulant. Idem de erysipelate et urticaria valet. Videmus porro febrem bullosam in pemphigum transire chronicum, quod Braune 16) ipse profitetur, eoque, ut mihi videtur, concedit, febrem bullosam verum esse pemphigum; morbus illam tantum subit mutationem, quod fortior reactio, in febre exhibitâ, evanuit, et minus turbide nunc procedit, quia ad vehementiorem activitatem aliquamdiu tantum organismus viribus pollet, et si malo non succum,

16) l. c. p. 53.

cumbit corpus, vel illud sanatur, progressus morbi sine febre, haud alienus videtur. Quare febrem sic dictam bullosam; verum quoque esse pemphigum, merito statuendum, et nomine Pemphigi febrilis magis idoneo designari potest.

§. 3.

Pemphigus chronicus, ille utique, in quo vesicae subinde efflorescunt, et qui per mensium annorumque spatium protrahitur, non semper etiam apyretus est. Ill. Marcus 17) pemphigum eo in decursu, ut exanthema acutum, febrile prorumperet, tunc chronicum, denuoque acutum fieret, saepius observavit. Cel. Richter 18) expertus est, pemphigum plerisque in casibus exulta cum febre incipere, illamque post aliquod demum tempus, vesicarum eruptione permanente, recedere. Quae febris saepius, praec-

17) Marcus, Entwurf einer speciellen Therapie. Nürnberg 1812. Th. 3. p. 382.

18) A. G. Richter, specielle Therapie. Berlin 1821. Th. 2. p. 613.

liget, ubi febris non solum, sed inflammationis etiam symptomata commemorantur, et pemphigi imago apposite delineatur. Mirandum praeterea, quod Bate man pemphigum febrilem negaverit, urticariae tamen cum et sine febre locum haud relinquens. 22) Quoad nomen Pompholygis; neutiquam ad morbum nostrum designandum magis est idoneum, quam denominatio „Pemphigus;“ *πομφολυγες*, docente Hippocrate 23) bullae sunt, aëre repletae, quae in superficie urinae inveniuntur, vesicas pemphigi autem aërem non continere, et satis constat, et Bate man ipse concessit, cum laticem vesicarum, lympham mitem, liquori in hydropse ventriculorum cerebri similem, vocaverit.

§. 4.

Pemphigus vel homines antea sanos, causarum actioni occasionalium sufficientium expositos, invadit, et tunc quidem plerumque celeriter absolvit decursum, vel individua aggredi-

tur, quorum constitutio jam aliis morbis, hic utique causarum praedisponentium vicem implentibus, debilitata fuerit, et tunc semper fere chronicam induit formam, molestiis, diu perdurantibus, gravissimam. Utrumque casum antecedunt prodromi, priorem inquietudo universalis, anxietas, lassitudo, agrypnia, affectiones organorum digestionis, dolores rheumatici, alterum praeterea haemorrhagiae variae vasorum oris, organorum digestionis, pulmonum, renum, portio asthma, convulsiones, prurigo cutis, dysuria et stranguria 24). Inter hos prodromos vel vesicarum cum phaenomenis mox afferendis, fit eruptio, vel febris antea intrat exculta, totum morbi decursum modo comitans, modo tantum exanthematis eruptionem, non multo post vero disparsens. Febris semper fere inflammatoria, cum caractere rheumatico-cattarrhali, cephalalgia in regione frontali, colli doloribus, tonsillarum et veli penduli inflammatione conjuncta. 25) Sed

22) l. c. p. 151. sq.

23) Hippocrates. Aphorism. lib. 7. 34.

24) Jos. Frank, Praecept. medic. univ. praeccept. P. 1. V. 2. p. 408.

25) Richter, l. c. item observ. nostra.

aliae quoque febris species morbo adsociantur. Christie 26) pemphigum observavit cum febre gastrica simplici; Salabert 27) cum febre inflammatoria biliosa. Auctore Ill. Richter, 28) vesicae inter febris intermittens paroxysmos tantum efflorescebant. Symptomatologiae vero variarum febris specierum hoc loco rationem habere non possumus, ne ab argumento, nobis proposito, nimis aberremus. Lectorem Benevolum potius ad pyretologiam, hasce affectiones morbosas accuratius exhibentem, relegamus.

§. 5.

Localia cutis phaenomena, vesicarum eruptionem antecedentia, sunt sequentia: cutis paululum intumescit atque rubescit, qui quidem rubor vel maculas tantum, vesicarum insequentium magnitudinem aequantes, format, vel totam, ubi

26) Lond. med. Journ. V. X. P. IV. p. 367. Item, Auserlesene Abhandlungen für praktische Aerzte B. 15. p. 507.

27) Journ. de med. Vol. 75. Ann. 1790. p. 66. Item, Auserlesene Abhandl. etc. l. c. [p. 544.]

28) l. c. p. 606.

vesicae propullulabunt, amplectitur partem, quod Braune 29) etiam in aegrotâ sua observavit. Stanislas Gilibert et Manfalcon 30) tubedinem semper primitus cum maculis tantum prodire, opinantur, quod hisce docent verbis: „La rubéfaction ne se dispose autrement que par „plaques, dont on n'aperçoit que le limbe, si l'on „n'est pas habile, à en épier le développement, „avant que l'épiderme ne se soulève en vésicules; „toujours elle se manifeste sous forme d'erythèmes „partiels, aussi nombreux que les phlyctènes, par- „faitement distincts les uns des autres, et qui ne „se réunissent et ne se confondent entre eux, „qu'autant qu'ils sont extrêmement voisins, caractère bien différent de celui, qui distingue l'ery- „thème érysipelateux.“ Rubor ille, ab initio lucidus, serius sub-fuscus fit, magis magisque autem, prout vesicae siccescunt, evanescit, attemen, crustis jam solutis, per aliquod adhuc tem-

29) l. c. p. 6.

30) Dictionnaire des sciences médicales. Tom. 40. p. 115.

poris spatium, visui patens. Insuper, praeter rubedinem, pruritu quoque atque partium affectarum ardere laborat aegrotus, quae phaenomena duodecim ad viginti quatuor horas et diutius exanthematis eruptionem antecedant, ita ut aegroti, jam semel impetum perpassi, instantem eruptionem certe possint praedicere 31). Pruritus ille et ardor saepissime doloris accipiunt indolem, nonnunquam tale ascendens fastigium, ut aegroti parte affecta igne cincta esse videatur 32). Temperatura simul partium aucta.

§. 6.

Vesicae deinde repente prorumpunt, celeriterque excoluntur, ita quidem, ut sex vel duodecim horis praeterlapsis, integram magnitudinem atque perfectionem adipiscantur. Jam in primo ortu, vesicarum referant formam, neque prius ex papulis parvis originem trahunt. 33) Quoad formam, modo rotundae modo oviales, atque in

31) Haase l. c. p. 320.

32) Pet. Frank, Epitome de curand. homin. morb. Manheim 1792. l. 3. p. 268.

33) Dictionaire etc. l. c. p. 116.

casu priori magis elatae, in posteriori depressione apparent. Vesicae illae pisii, nucis avellanae, amygdalarum, nonnunquam ovi columbini, gallinacei, quin et gallinaceo-Indici, adaequant amplitudinem. Epidermis vesicarum format velamen, ita omnino, ut in vesicis, vesicatoria seu substantias urentes excipientibus, quibus simillimae sunt. Anne halo ruber cingat vesicas, nec ne, hac de re id iudicandum mihi videtur, quod horum utrumque locum habere potest, quia praestantissimorum auctorum observationes hoc comprobant. Affirmavit

Peter Frank 34) „Et ad basin vesicae nunc rubor, nunc nulla in cute comperet mutatio.“

Marcus 35) „Der rothe Umkreis fehlt ausserst selten; zumal im ersten Zeitraum der Entstehung des Ausschlages ist er fast stets zugegen.“

Haase 36) „Die Blasen stehen auf einem

34) l. c. p. 267.

35) l. c. p. 383.

36) l. c. p. 322.

„rothen Grunde, wenigstens sind sie mit einem „rothen Rande umgeben, der auch nach dem Ausbruche noch immer ziemlich heftig juckt.

Richter 37) „Um die Blasen zieht sich „in einigen Fällen ein rother Hof, der stark juckt „und brennt, und dann ist auch die darin enthaltene Lymphe scharf, in andern fehlt dieser, „die Blasen stehen scharf begrenzt auf der ganz „gesunden Haut, sind dann gewöhnlich unempfindlich, und die darin enthaltene Flüssigkeit „blande. 38)

Braune 39) „Die Blasen stehen gemeinlich „einzeln ohne rothen entzündeten Hof oder „Rand, der Theil ist im Umkreise nicht geschwollen oder entzündet, wenn keine Rose zufällig „damit verbunden ist.“

Hiscæ testimoniis perpenis, cardo rei in eo

37) l. c. p. 604.

38) Secundum experientiam Dr. Wilman's, nonnunquam deest halo, si lymphæ etiam acritate gaudet. Vid. Journal der praktischen Heilkunde von Hufeland und Harles. J. 1818. B. 47. St. 3. p. 10.

39) l. c. p. 33.

vertitur, quod halo et adesse et deesse potest; quare etiam cum Cel. Schmalz 40) non consentimus, qui defectum halonis, pemphigi veri, ejus autem praesentiam, falsi signum pronuntiat. Latex contentus tenuis, liquidus, seroso-lymphaticus, flavus, sanguinis sero similis 41) nec semper, quod Wichmann 42), constans pemphigi signum pathognomonicum esse contendit, seroso-albidus; vesicis flavescentem impertit colorem. Nonnunquam tantum latex est lacteus 43), imo sanguineus 44), quo aspectus vesicarum mutetur,

40) C. G. Schmalz. Versuch einer medicinisch-chirurgischen Diagnostik. Dresden 1816. p. 223.

41) Richter, l. c. p. 604. P. Frank, l. c. p. 269. Haase, l. c. p. 324. Braune, l. c. p. 6. Sauvages, l. c. p. 430. Wilman's, l. c. p. 6. Dictionnaire etc, l. c. p. 116 und 117.

42) Beitrag etc. p. 14.

43) Braune, l. c. p. 17.

44) Samuel Plümbe, praktische Abhandlung über die Hautkrankheiten, aus dem Engl. Weimar 1825. p. 111. item, chirurgische Handbibliothek. Eine auserlesene Sammlung der besten neueren chirurgischen Schriften des Auslandes. B. 8. St. 1. mit 2 colorirten Kupfertafeln.

necesse est. Latex cruentus redditur primum, si pluries eodem efflorescunt loco vesicae. Tenuerac recens restituta epidermis nimis adhuc arcte cum cute conjuncta, effusi laticis vi separatur, quo facto, vasculum aliquod rumpitur et extravasatum format cruentum. 45) Idem porro evenit, si latex acris est, vasculaque arrodit, quod quidem etiam post vesicatoria adhibita interdum observatur. 46) Tertio demum, teste Cel. Reil, 47) a pathemate constitutionis universali, v. g. a diathesi scorbutica, febre putrida, res pendere potest, ubi sanguis ob paralyin vasculorum profuit. Ita praeceptor meus, Cel. Dr. L. A. Struve, in infantibus cachecticis atque scrophulosis, febre lenta jam correptis, hancce vesicarum mutationem animadvertit. Plerumque fere latex mitis, acri atque lymphae gaudet qualitatibus, crebro tamen acris quoque et causticus, partes infra jacentes arrodens, qua sub conditione, vesicae etiam pus con-

45) Braune, l. c. p. 15. et 16.

46) Haase, l. c. p. 324.

47) Reil, l. c. p. 418.

tinent. Брауне 48) laticem lacteum trium vesicarum, ex loco ubi jam pluries effluerant, erumpentium, perscrutatus est, atque puris qualitates invenit. Wilmans 49) liquidum reperit laticem, aquae similem, qui odorem sparsit modice urinalem, postquam vero per aliquot horas aëri atmosphaerico expositus fuerat, odorem ammoniacalem tenuem edebat. Salis saporem retulit et in lingua pruritus sensum excitavit. Quod si latex per duos vel tres dies in vesica sua continebatur, qualitates, modo allatae, magis excultae erant, qua re observatio, hocce in casu pruritus atque ardorem ab initio leniorem fuisse, quam serius, cum diutius latex in vesica remaneret, satis explicatur (l. c. p. 7). Analysis chemica, cum liquore illo instituta (l. c. p. 28—34) docuit, laticem urinae naturam referre, cum partes illius constitutivae nonnullam cum urina humana similitudinem proderent, nominatim cum illa, cujus excretio, praecipue apud hystericos, impedita, vel quae jam aliquamdiu missa fuerit. Quae observatio eo

48) l. c. p. 17.

49) l. c. p. 8.

magis memorabilis, cum aegrotata illa urinam mit-
teret parcam, quia functiones organorum syste-
matis uropoëti laesae, inter alia, causam pemphi-
gi praecipuam exhibent. Jam ante vesicarum
eruptionem, urina parca fuisse, dicitur. Aegrotata
simul in abdomine pelveque pressionem atque
dolores senserat tractorios, et regio hypogastrica
supra ossa pubis inflata, rigida et tensa fuerat.
Dolores tractorii, quod aegrotata ipsa monuit, ad
dorsum usque porrecti, regionem etiam, ubi renes
collocati sunt, praecipue occupaverant (l. c. p. 8
— 9). Reuera in pemphigi vesicis urinam ad-
fuisse, nemo praesumet, qui sciat, quodlibet se-
et excretum unice a proprio produci organo; nihil-
ominus materias urinales in latice vesicarum con-
tentas fuisse, credi potest, cum etiam in ischuria
perspirationem urinae odorem prodere, experien-
tia saepe docuerit 50), quod quidem argumento
est, materias urinales quidem, sed minime uri-
nam ipsam excerni. Quodsi vesicarum latex
porro in cochleari argenteo calefacitur, celerrime

coagulatnr, turbatur et opali colorem accipit,
massamque mollem, trementem, albumini cocto
similem, constituit. Acidum sulphuricum instil-
latum, praecipitatum gignit album, floccosum.
Natri carbonici solutio nil mutationis perspicuae
producit. 51)

§. 7.

Pemphigi vesica, si per triginta sex ad qua-
draginta octo horas lucida teneaque permanserit,
in fundo turbatur, opaca et nonnunquam albida
fit, in superiore parte paululum corrugatur atque
deprimitur, sensim sensimque magis collabitur,
postremo crustam formans crassam sordidamque.
Crusta illa sponte decedente, macula pulchre ru-
pra apparet, nec tamdiu madens, quam si vi
avellitur. Priori in casu macula jam post aliquot
horas siccasset, per hebdomades tamen visui ad-
huc patet, colore rubro sensim in fuscum tran-
eunte. 52) Monente Hall 53) vesicarum latex
aegrotatae cujusdam semper resorptus fuerat, vi

50) Haase. Chronische Krankheiten. B. II, p.
316. §. 234.

51) Dictionaire etc. l. c. p. 117 et 118.

52) Braune, l. c. p. 8 — 9.

53) Auserlesene Abhandlungen etc. Bd. XVIII, p. 485.

externa tantum adhibita, rumpébant vesicae, de-
nuo autem repletæ sunt. Cel. P. Frank (l. c.
p. 267) periculosam ad viscera, si latex resorbetur,
metuit metastasin, quod quidem experientia haud
confirmari videtur. Saepius sponte rumpuntur
vesicae, celeriterque effunditur contentum, quod
haud dubie sententiae, non in universum pro-
bandæ Cel. Marcus (l. c. p. 384) ansam præ-
buerit, pemphigum præcipue e vesicarum ruptu-
ra, post aliquot dies obvia, cognosci. Vis me-
chanica sane creberrime vesicarum rupturam pro-
ducit, quod quidem inter dolores et inquietudi-
nem, quibus laborat aegrotus, facillime accidere
potest. Quodsi vesica rupta est, interdum deno-
repletur, ut Wilmans (l. c. p. 7 — 10) etiam
observavit, plerisque in casibus autem epidermis
corrugatur, magis minuve marginem versus re-
volvitur, atque maculam, pulchre rubram, mo-
dice madentem, cutis denudatione, foveola con-
spicua carente, formatam, cingit. Die præter-
lapso, madere desinit, macula siccassit, et cru-
sta subfusca obducitur, sub qua tenera excolitur
epidermis. Post aliquot hebdomades, epidermis
siccata crustaque subfusca cadit, et nullam relin-

quit cicatricem; rubrae vero remanent maculae,
quae postremo fuscum adipiscuntur colorem, tar-
deque disparent. Latice effuso, margo interdum
tubicundo-niger, ut Cel. Selle, Braune quo-
que (l. c. p. 8) viderunt, cingit vesicam.

Si pluries eodem loco proveniunt vesicae,
non sanguineae solum sunt, ut §. 6 memoravimus,
sed maculae etiam remanentes diutius madent,
imo suppurare incipiunt, ita ut, teste Braune,
(l. c. p. 55) cum ulceribus syphiliticis commutari
possint. Latex, vesicis inhaerens, si acris est at-
que corrodens, ruptura facta, non sequitur ex-
siccatio, sed ulcera maligna, diutina, saniosa
atque gangraenosa, post sanationem cicatrices re-
linquentia, formantur. Partes adeo nonnullae
tum plane destruantur, ut Wichmann 54) ob-
servavit, qui aegrotum quendam fere sine dolore
prima digiti pedis phalange orbatum fuisse, et alio
in casu utrumque oculum amisisse, testatur. Quae
ulcera remanentia autem non solum tanquam e la-
tice acri prodeuntia, sunt considerata, sed pe-
culiariter etiam e mutata corporis vitalitate pre-

54) Beitrag etc. p. 7. Ideen etc. Tom. I. p. 89stg.

deunt, quae jam ex aliena laticis secreti conditione cognoscitur. Validiore adhuc stimulo accedente, horum ulcerum formatio eo facilior.

§. 8.

In omnibus corporis partibus efflorescunt vesicae, saepissime tamen in extremitatibus, deinde in trunco, dorso atque facie. Ill. Reil (l. c. p. 416) docuit, vesicas praecipue sinistram corporis partem occupare, idque per observationes nonnullas prolatas probare studuit, sed non semper res ita se habet. Paulo infra, symptoma hocce explicaturus, interrogat, an fortasse cordis vicinitas vel major, ut nonnulli proferunt, renis sinistri ad morbum proclivitas, causam sistat hujus phaenomeni? Veruntamen, si etiam exanthema crebrius in sinistro corporis latere prorumpere, tanquam certum et exploratum, concederemus, causam hanc agnoscere non liceret, quia ren sinister non sinistrae partis, sed totius potius corporis exhibet organon purgatorium, cum vasa adductentia ex aorta abdominali prodeant, ubi ambarum corporis partium sanguis circulatur. Praeterea in universali organi cujusdam in organismum reactione, generatim parum utique inter-

est, utrum dextrorum an sinistrorum situm sit, alioquin et icteri sedes in dextro latere imprimis quaerenda esset. Vesicae pemphigi praesertim iis locis, ubi tenera cum epidermide tectae sunt partes, oriuntur, quare rarissime in palma manus 55), et planta pedis 56) observatae sunt. In pilosa capitis parte Braune (l. c. p. 20) vesicas efflorescere vidit, ubi tamen, quoad formam et agnitudinem, ab eis, quae alias partes occupant, diversae erant, quum depressiores et magis angulares atque vesicis erysipefatis pustulosi similes essent. Reil (l. c. p. 419) aliquando sub digitorum unguibus vesicas prodire observavit, quo in casu unguis suppuratione ablati fuerunt. Dr. Thomas 57) in tribus neonatis pemphigum invenit, quorum unus parum vesicarum in facie et corpore habebat, sed omnes pedis manusque digitorum apices vesicis consiti erant, e quibus infans maximas perpeusus est molestias.

55) Jos. Frank, l. c. p. 410.

56) Stark, Handbuch zur Erkenntnis und Heilung innerer Krankheiten des Menschen. B. I. p. 544.

57) Salzburger, medicinisch-chirurgische Zeitung. J. 1818. Bd. II. p. 274.

§. 9.

Non solum in externa corporis superficie vesicae prorumpunt, sed intrinsecus quoque, in ore, faucibus et tractu intestinorum. Auctore Haase, (l. c. p. 73) vesicae a facie ad partes internas disperguntur, sed pemphigum etiam primitus in ore prodire posse, Stephan Dikson 58) memorat, quo in casu morbus febrilis, atque brevi tempore sanatus fuit. Eruptionem internam inflammatio erythemata membrae mucosae praecedit, et quousque oculi nostri prospiciunt, partes rubrae et tumidas invenimus, cavum puta oris, faucea et linguam, quam posteriorem Dikson subrubram siccamque observavit. Dolor titillans, pruriens, pungens, nonnunquam vehementissimus percipitur, ita ut liquorum adeo minorum deglutiendi prorsus ablata sit facultas. Si inflammatio per oesophagum ad ventriculum et tractum intestinorum procedit, plerisque in casibus dolores vehementissimi, nausea, vomituritiones, vomitus cruentus, diarrhoea, sedes cruentae praesto sunt. Serius tympanitis, ileus, tum

38) Amerisane Abhandlungen etc. B. 15. p. 141.

extremitatibus frigidis atque pulsu parvo, debili et contracto aecedunt, et, ut paucis omnia complectar, morbus enteritidis, quoad symptomata et exitum, perfectam exhibet imaginem. Lingua, velum palatinum et cavum oris interdum vesicis impleta sunt. Vesicae linguae plurimum eas, quae in externa corporis superficie proveniunt, similes, sed raro ejusdem magnitudinis atque altitudinis reperiuntur, magisque angulares, quam ovales aut rotundae. Parietibus cavi oris et velo palatino inhaerentes vesicae aptas magis aequiparant, ut Braune (l. c. p. 11) nobiscum communicavit. Dikson (l. c. p. 141) in lingua vesicam longitudine pollicis et latitudine semipollicis reperit, quae aquam flavescens contineat; in genae sinistrae parte interna ejusmodi vesica effluerat, et aegroti, aquae fervidae in ea praesentis, sensum percipere sibi videbatur. Teste Braune, vesicae cum alba, transparente aqua repletae, jam post nonnullas horas collapsae sunt, confluerunt, et cutem crassam, albam, quae quolibet quarto die desquamabatur; formarunt. In lingua etiam non plus sex horis permanebant, eodemque modo mutabantur. Lingua tunc quasi privabatur, et rubra, vehementer dolens, imo

sanguinolenta conspiciebatur, si quidem ante quartum diem cutis, vi adhibita, detracta fuerit. In aegrotâ, cujus morbi historiam Dikson protulit, non tantum modo die cutis recedebat, et subfuscum referebat colorem, in aegrotâ nostrâ subflava erat. Nonnunquam glandulae tumescunt salivales, dentes laxi redduntur, et intrat salivatio, ubi halitus ita, ut apud illos, qui per inunctionem curantur, odorem nanciscitur foetidum. 59)

Utrum in respirationis organo protumpanit vesicae nec ne, nondum exploratum, atamen membranae mucosae tracheae et bronchiorum irritatio ejusque cum pemphigo nexus, sat perspicua. Aegrotus, cujus Cel. Wichmann (l. c. p. 7) mentionem fecit, postremo tussē, quae per verum, crassum, flavum, interdum cum sanguine mixtum, ejiciebatur, laboravit. Aegrotâ viri Cel. Braune (l. c. p. 7) magis magisque tussē liberata fuit, postquam in cutē plures appaerant vesicae, majori cum vehementia autem illa tedit, cum os et fauces denuo vesicis implerentur. (l. c. p. 13). Quodsi etiam in organo

59) Braune, l. c. p. 12. Dikson, l. c. p. 142.

respirationis vesicae non plane excultae fuerint, pemphigus tamen tanquam causa hujus irritationis, in casu praesertim posteriori, merito accipiendus erit. Quamvis membranae organorum respirationis mucosae cutis propagationes exhibeant, haec tamen organice atque dynamicè quam maxime mutata est, quare ejusdem morbi symptomata, prout cutem vel membranas mucosas aggreditur, diversa appareant oportet. Quodsi cutis inflammationem materiae serosae exsudatione, qua epidermis in vesicas attollitur, solvi advertitur, membranae mucosae contrario inflammatione plerumque tantum secretionem aucta ad finem perducitur. Hic quoque vesicarum formationem cogitari posse, nemo, qui illarum praesentiam in cavo oris concedat, (concedet vero quilibet, experientia edocuit), negare sustinebit, sed jam vesicarum formationem tum non ita, ac in externa corporis superficie, perfectam esse, supra memoravimus, saepeque inflammatio modo simplex, cum mucosae secretionem postea aucta, atque vesicarum formatione, observatur.

Praeter cutem membranae mucosae praecipue in pemphigo efficiuntur, quod quidem non solum e supra allatis observationibus satis elucet

sed membranas etiam mucosas genitalium atque organorum systematis uropoëticae morbose irritatas invenimus. Aegrotā nostra in serioribus morbi periodis fluore albō maligno laboravit. Urina saepissime mucosa atque floccosa mittitur, cumque doloribus; qui inflammationem membranarum mucosarum, organa systematis uropoëticae obtegendum, indicant. Quae membranarum mucosarum affectio vel cutis pathema comitatur, vel cum eo alternat; attamen casus prior crebrior, quum pemphigus haud raro cum febre catarrhali incipiat, ubi tonsillae, cum membrana mucosa oris, faucium, sinus frontalis et nasalis, atque oculorum simul afficiuntur. Membranarum mucosarum aegritudo, ita ac cutis, plerumque partialis est, nisi malum altius attingerit fastigium. Cutis, constitutione irritabiliore praedita, ad vesicarum formationem magis proclivis; in membranis contra mucosis saepe irritatio tantum adest morbosa, e mucī secretionē aucta cognoscenda, vel etiam modica inflammatio catarrhalis oritur, rarissime vero altiores ascendit gradus inflammationis, ubi revera vesicae excoluntur et inflammatio quoque ad alias systematis alicujus partes consti-

tuentes transit, ut in veniculo et tractu intestinalium, ad tunicam muscularem et peritonealem.

§. 10.

Vesicarum propullulantium numerus varius; modo duae vel tres tantum, modo majori in copia efflorescunt, atque Braune (l. c. p. 6) inter duodecim dierum spatium centum et sexaginta duas, in brachio tantum, observavit vesicas. Nimis arcte coacervatae vesicae confluunt, quare abnormem recipiunt formam. Non semper simul oriuntur, sed saepius alternando sibi succedunt, et juxta siccatas, recentes, florescentes, aliaeque modo evolvi incipientes, animadyerrunt. Quodsi vesicarum formatio diutius perseverat, et semper novae corripiantur corporis partes, integra omnino membra epidermide privari possunt. In viri Ill. Wichmann aegrotō, extremitas dextra a genu usque ad pedis dorsum epidermide nudata fuit. Saepē per plures hebdomades una eademque corporis parte erumpunt vesicae, mox aliis in locis conspiciuntur, ita ut exanthema quasi periodos formet varias. Lubenter vesicae, quas jam semel occuparunt partes, denuo aggrediuntur, quod si fit, plerumque abnormi specie comparent, uti jam supra a me relatam.

Eruptione vesicarum finita, pruritus vehemens, ardor, dolorque remittunt; ad novam usque eruptionem. Attamen monente Braune (l. c. p. 35) aegrotum post eruptionem quoque nonnunquam vexant dolores, quod etiam Cel. Albert 60) sequentibus confirmat verbis: „Ce qu'il y a de déplorable, c'est que les démangeaisons ne disparaissent pas toujours, lorsque l'éruption s'évanouit.“ Eruptionem alteram per maxime incerta temporis intervalla sequitur altera, ita ut modo dies, modo hebdomades, menses aumque utriusque intercedant eruptioni. Quamlibet eruptionem magis minusve praecedunt prodromi, motus febriles vel magis exulti, vel debiliores adsunt, vel omnino desunt, sola localia inflammationis symptomata semper observantur. Dolores tum praesertim vehementiores fiunt, si vesicae iterum atque iterum eodem efflorescunt loco; quam quidem viro Ill. Reil (l. c. p. 417) debemus observationem.

§. 11.

Cum morbus nimis diu moratur, et per majorem corporis partem dispergitur, quod aegroti viri Cel. Wichmann accidit, cujus corpus maxima ex parte epidermide, ac si aqua fervida

60) l. c. p. 282.

perfusum fuisset, privatam erat, doloribus continuo perdurantibus, functione adeo majoris momenti, cutis perspiratione laesa, atque materialium serosarum, nutrientium, in pemphigi latice contentarum, jactura, organismus, hisce in casibus chronicis jam nimis affectus, magis adhuc debilitatur, et sanitas omnino labefactatur. Agrypnia continua, ad debilitationem magnam et universalem vel citius adducendam, confert, febris intra lenta cum organi cujusdam nobilioris consumptione, vel hydrops accedit abdominis et pectoris, vel saepius oedema extremitatum superiorum atque inferiorum, glandulae axillares et inguinales tumescunt et indurantur, et symptomatibus colliquatibus obnoxius, aegrotus morti succumbit, per annos integros molestias gravissimas perpeusus. Quodsi malum, hisce in casibus diuturnis, ad sanationem vergit, haec sensim sensimque omnino procedit, vesicae minori tantummodo copia efflorescunt, aegrotus quiete magis fruatur, somnus et appetitus redeunt, et pedetentim vires atque sanitas restituantur.

§. 12.

Pemphigus mox brevius, mox diutius perdurat. Si semel tantum exanthema prorumpit,

intra duas vel tres hebdomades morbus terminatur, e contrario, si magis intensive laborat organismus, per menses et annos semper denuo vesicarum eruptiones invadunt aegrotum. Aegrota, cujus Cel. Wichmann 61) mentionem fecit, per novem annos, cujus Braune per duos, aegrotus, quem Cel. Haase (l. c. p. 325) commemorat, per annum pemphigo laboravit, et puellam, quam Haase tractavit, quinque annorum intervallo ter pemphigus aggressus est, cujus singuli impetus tamen quatuordecim dierum spatium non excesserunt. Pemphigus in universum celerrime redit, quod quidem nostra etiam observatio confirmat. Cum pemphigus, interjecto longioris temporis intervallo, recurrit, quaeritur, num tanquam malum constans vel recens sit considerandus? Quae quaestio jure ita solvenda videtur, ut malum, ubi tempus illud interjectum sine morbi symptomatibus praeterlapsum fuerit, denuo ortum esse, judicemus, quum e contrario, si perpetuo alius generis aderant molestiae, malum, pemphigi saltem causam praedisponentem, haud sublatam esse, statuendum sit. (Struve).

61) Ideen etc. T. I. p. 89.

Pemphigus cujuslibet aetatis et generis homines vexat, saepius tamen adultos quam infantes, et quantum experientia hucusque docuit, magis feminas quam viros aggreditur. Cel. Oslander 62) infantes adeo, hocce morbo affectos, nasci vidit. (Pemphigus connatus.)

§. 13.

Sectiones cadaverum, pemphigo extinctorum, vix crebro institutas crediderim, quia duas tantum observationes reperi, nobiscum communicatas. Quarum prima a viro Cel. Oslander (l. c. p. 401) in neonato, qui pemphigo laborans natus et mortuus est, facta fuit. Inter musculos abdominales et peritonaeum aqua flavescens inveniebatur, intestina tenuia inflata et plurimis in locis inflammatione correpta erant, et mesenterium, mesocolon internaque peritoneae superficies ipsidem inflammata animadversa sunt. Externa intestinorum membrana facillime ab altera separari potuit, ita ut magnas illius partes sine ulla vi deträhere valeret. Vesica fellea nimis tensa et cum muco albedo-nigro aëreque repleta erat, he-

62) Oslander, Denkwürdigkeiten für die Heilkunde und Geburtshülfe, Göttingen 1794, p. 385. sq.

par magnitudinis consuetae et coloris normalis. Vena cava et dextra cordis auricula multum sanguinis continebant nigri, pulmones inflati et rubicundo colore punctati animadyrtabantur.

Majoris momenti ac memorabilior secunda videtur observatio, a viro Cel. A. Libert (63) relata, Aegroti illius cum omnibus pemphigi eruptionis in organis digestionis signis, moriebatur, et quoniam observatio ejusmodi unica exstat, illam verbotinus proferendam, censeo. „A l'extérieur du corps maigreur générale, excoriation de la partie postérieure du bassin et de toute la région lombaire; la peau offroit dans certains endroits, comme au col, à la poitrine etc. quelques petites vésicules; dans d'autres endroits, comme aux bras, aux jambes, des taches jaunâtres qui étoient produites par la dessiccation des ampoules. L'intérieur de la bouche présentait plusieurs choses à considérer: de petites ulcérations qui ressembloient aux excoriationes aphteuses. Ces ulcérations étoient peu profondes, et couvertes d'une pellicule noirâtre; on en remarquoit sur le voile et les piliers du palais; la langue, en partie dé-

cruite par de semblables excoriationes, offroit des croûtes épaisses, sous lesquelles étoit un fluide muqueux et un peu glutineux. L'intérieur de l'oesophage, sain d'ailleurs, offroit à l'endroit où il s'unit à l'estomac, la membrane muqueuse peu adhérente à la musculaire, et un fluide séreux épanché dans le tissu cellulaire, qui unit les deux membranes. L'ouverture pylorique ne présentait rien de notable. Les intestins étoient distendus par des gaz, et étoient parsemés de taches à leur surface extérieure. La surface intérieure étoit affectée dans toute l'étendue des intestins grêles, de petites ulcérations répandues çà et là, et qui rendoient une suppuration glutineuse. On ne remarquoit que deux vésicules dans le trajet des gros intestins. D'ailleurs, les autres viscères de l'abdomen n'offroient rien de remarquable.,,

Hic experientia probat, pemphigum in oesophago, ventriculo et intestinis eadem proferre phaenomena, ac in cavo oris. Paucae tantum vesicae inveniebantur, quia citissime collapsae sunt, et nunc aphtarum, ulcerumque prae se ferebant speciem.

63) l. c. p. 340 et 341.

Caput III.

Morbi diagnosis.

§. 14.

Quamvis vesicae signum pemphigi pathog-
nomicum exhibeant, non quilibet tamen status
corporis morbosus, ubi vesicae apparent, pem-
phigus vocandus. Primum nobis offert exemplum:

1) Zona, Zoster (der Gürtel). Vesicae
hic multo iis, quae pemphigo propriae sunt, mi-
nores, raro ipsi magnitudinem adsequuntur, modo
si plures confluunt, hunc ambitum excedunt. Sem-
per in circumscriptis cutis regionibus, in corym-
borum modum collectae, prorumpunt, et nunc
orbicularis insulae, nonnunquam palmae magni-
tudinem aequantis, nunc striarum longitudina-
lium offerunt formam, et saepius cinguli instar
unum corporis latus, praecipue abdominis regio-
nem, a linea alba ad spinam dorsi usque ambi-
unt. 64) Pemphigi vesicae contra ubique efflo-

64) Reil, Memorabilia clinica. Fasc. II. Halae
1798. p. 148. Cur der Fieber. Th. 5. p. 392.
Wichmann, Ideen etc. T. 1. p. 72. Bursarius
l. c. p. 40. §. 49. p. 41. §. 51.

rescunt, saepissime hic illic singulae tantum, imo
internis in partibus.

2) Miliaria crystallina (der Krystall-
friesel). Hic quoque vesicarum magnitudo pri-
mum constituit discrimen. Miliariae crystallinae
phlyctaenae plerumque grani sinapis seu milii
seu varjolarum pustulae adaequant ambitum, sae-
pius tamen adeo exiguae, ut tactu tantum excul-
to detegi possint, et aciem, nisi cute oblique in-
specta, fugiant. 65). Latex porro vesicarum mi-
liariae crystallinae multo magis aquosus, palli-
dus ac vel lucidus, et sive exhalatione, sive
resorptione aufertur, quo facto, vesicae vacuae
reperiuntur, posteaque insigni cum pruritu rum-
puntur, arescunt et in tenuissimos furfures, aut,
si nimis confertim miliaria apparuerit, in squa-
mulas, interdum sat largas, secedunt. Miliaria
cum sudore erupta statim ad ultimum usque vesti-
gium, frigore aliarumve causarum, et physicarum
et psychicarum vi admissa, recedit 66), pemphigus e
contrario nunquam repellitur atque crustas erosio-

65) P. Frank, l. c. p. 136. sq.

66) Bursarius de Kanifeld, l. c. p. 462.

nesque format perspicuas, a miliaria crystallina alienas.

3) Erysipelae pustulosum. (die Blatterrose). Commutatio cum erysipelate pustuloso facilius, quam ante pemphigi eruptionem quoque partes rubescant. Hoc in casu rubor erysipelatis peculiaris, plerumque roseo-albicans, variis e purpureo aut livido-flavescens, sensim in partes confines se diffundens, et signum pathognomicum, quod digitis compressa pars candidet, et albidum recipiat vestigium, sed mox, remota pressione, pristinum colorem splendoremque recuperat, diagnosis sistant oportet. Praeter ea erysipelatis pustulosi vesicae magis a forma recedunt consueta, angulares et saepe confluentes, eo usque tantum disperguntur, quoad inflammatio progreditur, et cum illa disparent 67). Rubor, pemphigi vesicae antecedens, magis hilaris, maculas tantum circumscriptas, magnitudinis vesicarum sequentium, tunc demum confluentes, si nimis confertim efflorescant vesicae, exhibet. Pemphigi vesicae porro magis regulae cuidam conve-

67) Butserius, l. c. p. 14. §. 15. Braune, l. c. p. 40. Reil, Cur der Fieber. Th. 5. p. 410-411.

nienti gaudent forma, saepe, cum iam prorsus excultae sint, sine halone adeo rubro cuti inhaerent sanae, quod quidem in erysipelate pustuloso nunquam observatur, ubi rubedo semper latam circa vesicas ostendit distentionem. Partes erysipelate pustuloso correptae magis intumescunt, ac in pemphigo, doloresque nunquam illum, qui pemphigum saepissime comitatur, attingunt gradum.

4) Vesicae, irritationem cutis immediatam sequentes. Applicatis vesicatoriis remediisque omnino vesicantibus, combustionis atque congelationis, inoculationis nonnquam variolarum vaccinarum facta, prope inoculationis locum, oriuntur vesicae. Ill. Wichmann 68), aliquando in puero, ceterum saepe, magnam pellucidarum et latarum vesicarum invenit copiam, quae pemphigi vesicis simillimae erant; culicum tamen ictu productae, sine artis auxilio evanuerunt. Idem profert exemplum, ubi vir quidam, in horto suo rhodis toxicodendri plantam eradicans, atque digitum vulnerans, post viginti quatuor horas, ab exanthemate vehementi

68) Beitrag etc. p. 15.

ter dolente et pruriente, quod praecipue praeputium, scrotum palpebrasque occupabat, correptus est. 69) Docente Bongeant 70) in terra Brasiliensi coluber invenitur, qui adeo post mortem tactus, vesicas provocat. Quibus omnibus in casibus causarum excitantium investigatio, celer in hominibus antea sanis morbi ortus, brevis decursus, facilisque mali medicatio, diagnosis certiore reddent.

5) Cum pemphigo porro commutari nequit vesicarum manifestatio in inflammationibus vehementibus, in gangraenam humidam transeuntibus, in phimosi, raphania, uti Ill. Wichmann 71) observavit, in variolis malignis, nec minus vesicarum eruptio in praeputio tallum puerorum, quorum patres aliquando gonorrhoea laboraverant 72), cum ob minorem similitudinem, tum quia

69) Ideen etc. T. 1. p. 76, 77, 78.

70) Bongeant, Observations curieuses sur la phimosi. T. I.

71) Wichmann, Beitrag zur Geschichte der Kriebelkrankheit. p. 24. und Beitrag zur Kenntniss des Pemphigus p. 14.

72) Beitrag zur Kenntniss des Pemphigus, p. 15.

morbus alio modo ac pemphigus, incipit atque decurrit.

§. 15.

Postremo memoratu dignum, pemphigum cum aphthis et ulceribus syphiliticis commutari posse. Exanthema, in cavo oris prorumpens, mox formam vesicarum amittit, aphtarumque induit, erosionesque; post frequentiores pemphigi eruptiones in parte genarum interna atque in lingua, remanentes, ulcera adaequant syphilitica, ut Braune (l. c. p. 52.) profert. Quodsi in cute etiam plures uno eodemque loco efflorescunt vesicae, irritatione repetita suppuratio provocatur, partesque suppurantes ulceribus similes sunt syphiliticis. Facilius adhuc commutatio, siquidem glandulae inguinales tumidae et inflammatae inveniuntur. Ab aphthis malum discernimus, si oris cavum saepius investigemus; perspicue tunc elucebit, aphthis sic creditis revera praecedere vesicas, quae sex horis elapsis demum collabuntur, formamque amittunt. Praeterea simultanea seu alternans exanthematis in cutis superficie manifestatio, pemphigum tanquam horum phaenomenorum causam insigniat, necesse est. Erosionibus supra memoratis in lingua et genarum parte interna praesentibus, defec-

us affectionum syphiliticarum primariarum, vel infectionis immediatæ, indolem syphiliticam mali primum in dubium vocabunt. Porro pemphigus in cute apparens, de vero morbi characterè certiores nos reddere potest. Ulcera syphilitica insuper sæpius velum palatinum, fauces et cavum nasale occupant, ac genas et linguam, nec unquam profundius in digestionis organa penetrant, ut ulcera, e pemphigo orta. Quum denique erosiones partium externarum, ulceribus syphiliticis similes, post ejusmodi tantum exanthematis eruptionem, quod pluries eodem locò proveniat, orientur, vix ac ne vix quidem, si minime etiam minime intenditur, error metuendus.

CAPUT IV.

Morbi aetologia.

§. 16.

Inflammatiõ cõu causã proxima pemphigi satis cognoscitur, tumore et rubedine partium, doloribus interdum vehementissimis, quamlibet comitantibus eruptionem, febre ferè, semper inflammatoria, exsudatione denique, qua epidermis in veticas assurgit. Eruptione intrinsecus facta,

inflammationis signa quoque praesto sunt, et siquidem morbus per oesophagum, ventriculum et tractum intestinorum effunditur, oesophagitis, gastritis et enteritis perfectae exoriri possunt. Inflammationis sedem fines serosi systematis capillarj exhibent, quod quidem exsudatio serosa et simplex epidermidis desquamatio sine cicatricum formatione, in normali videlicet morbi decursu, patefaciunt. Egrege sane hac de re Monfalcon 75) ita disseruit: „C'est donc la circulation capillaire des tégumens, qui joue le premier rôle dans l'affection cutanée, le siège principal de cette affection est donc dans le système capillaire cutané, et consécutivement dans les vaisseaux exhalans, qui s'ouvrent à la surface externe du corps réticulaire. Ainsi le pemphigus est, en dernière analyse, un accroissement vicieux des fonctions, qu'exécutent le réseau capillaire et les vaisseaux sous-épidermoïques.“

§. 17.

Pemphigus, illum dico, qui tarde decurrit, diuque perseverat, difficiliter sanatur et facile revertit, rarissime homines aggreditur omnino

75) Dictionnaire des sciences médicales L. c. p. 125.

sanos, sed eos plerumque, qui jam prius aliis laboraverint morbis, vel ejusmodi momentis expositi essent noxiis, quae magis minusve organismum integritate sua privarunt, et ad morbum illum proclivem reddidere. Causae praedisponentes, prout experientia docuit, sequentes sunt: 1) *Hysteria*. Aegroti viri Cel. Braune quam maxime hysteria affecta erat et Cel. P. Frank 74) virginem monasticam hystericam, pemphigo laborantem, observavit, et novam morbi speciem (pemphigum hystericum), constituit. 2) *Arthritis*. Aegrotus, cujus Cel. Wichmann protulit morbi historiam, in quo malum summum attigerat fastigium, antequam pemphigo tentatus fuerat, podagricus factus est, idemque Dr. Bruekmann 75) vidit. Arthritidem porro et pemphigum alternatim impetus facere, quoque observatum 76). 3) *Scrophulae*. Puella, novem annos nata, cujus morbum me-

74) Braune, l. c. morbi historia. P. Frank, l. c. p. 268; Hufeland's Journal. Bd. 10. St. 3. p. 97. sq.

75) Wichmann, Beitrag zur Kenntniss des Pemphigus, p. 6. Ernst Horn, Archiv für die medicinsche Erfahrung. J. 1811. Bd. 2. p. 63. sq.

76) Hufeland's Journal. Bd. 11. St. 4. p. 138.

morat Cel. Haase (l. c. p. 330) ejus rei offert exemplum. Praeceptorum meo honoratissimo Dr. L. A. Struve, aliquando duos infantes trium et sex annorum observandi data fuit opportunitas, qui stadio scrophuloseo ultimo pemphigo corripiebantur. Vesicae faciei atque extremitatum inferiorum in ulcera transibant maligna, et sub hectices colliquationisque signis mortem obierunt. In infante quodam scrophuloso ophthalmia scrophulosa, pemphigus et tinea capitis tandem alternabant, quoad congrua sanandi methodo scrophulosis sublata fuit, 77) 4) *Exanthemata* varii generis. Huc pertinent erysipelas, scabies, herpes, urticaria, zona etc. 78). Quo saepius homines hisce obnoxii fuerint morbis, eo major ad exanthemata in genere gignenda, adeoque ad pemphigum, fit proclivitas. Quodsi praeterea exanthemata illa per curationem vitiosam repellantur, et crisis deest, illa quidem, quae per urinam absolvitur loco variorum malorum metastaticorum plerumque se exserentium, v. g. hydropis,

77) Hufeland's Journal. Bd. 11. St. 4. p. 141.

78) Reil Cur der Meber. l. c. p. 424. Hufeland's Journal. Bd. 47. St. 3. p. 4 — 5. Braune. l. c. p. 4.

amauroseos, paralyseos, asthmatis etc., nonnunquam pemphigus oritur, sicut Cel. Haase in viro, scabie humida suppressa, observavit, ubi morbus igitur prior per metaschematismum iudicatus fuit. 5) Haemorrhagiae varii generis. Vomitum cruentum, haemoptystu, sputum cruentum, gingivas sanguinem fundentes, urinam sanguineam Ill. J. Frank 79) pemphigi prodromis accenset. Haase etiam (l. c. p. 320) in viro quadragenario infarctibus organorum abdominalium et hypochondria laborante, gingivas tumidas et sanguinem emittentes, invenit. 6) Feminae, amenorrhoea affectae, hominesque, febribus debilitati intermittentibus a pemphigo etiam facile corripuntur. 80) 7) Saepissime pemphigus cum vitiis organorum systematis uropoëticæ cohaeret, quibus vel qualitas tantum immutatur vel quantitas simul urinae imminuitur. Indurationes renum, calculi renales, spasmi organorum systematis uropoëticæ his mutationibus ansam praebent, quae vel aliquamdiu

79) l. c. p. 408

80) Keil, Cur der Fieber, l. c. p. 415. Jos. Frank, l. c. p. 408.

antecedunt pemphigum, vel totum illius comitantur decursum et cum illo sub eandem rationem cadunt. Braune (l. c. p. 13) ita de aegrotâ ab eo curata refert: „Ferner hatte sie vom Anfange der Krankheit an öfter Urinverhaltungen, oder es mangelte die Urinabsonderung gar, die mir erst von Krämpfen im Unterleibe herzuführen schienen. Die Krämpfe wurden auf eine erstaunende Art vermehrt, wenn der Chirurg Herr Ekholdt mit der Sonde die Blase untersuchen oder den Urin abzapsen wollte u. s. w.“ Serius dolores in rene sinistro sensit, et illo in loco tumor in conspectum venit, qui evanescebat, si calculi urinales per urinam educebantur, redibat vero, si retinebantur. Non multo post crebro vomitionibus laboravit, quae tandem in vomitum transibant cruentum, quo aliquando calculus cavus, longitudinem semi pollicis latitudinem vero pollicis quadrantis referens, majori cum sanguinis copia ejiciebatur. Calculi illius partes constitutivae erant: Spiritus urinosi gtti, Ol. empyreumatici, Ol. C. C. similis, gr. ivß, Calcis gr. vjß. (l. c. p. 79) Haud dubie calculus ille fuit renalis, qui, suppurato rene, in superiorem tractus

vestiumque immundities 83) quibus omnibus congruit experientia, ab Ill. Sauvages 84) sequentibus prolata verbis: „Deinde pluries eundem morbum in mendicis et pauperibus nosocomii generalis observavi.“

§. 18.

Corpore causis, modo allatis, sufficienter praedisposito, minora momenta jamjam pemphigi evolutionem perfectam adducere valent, et saepius nullius causae excitantis memor est aegrotus. Nonnunquam refrigeratio antecederat 85). Dr. Feichtmayr 86), terrorem causis occasionalibus annumerat. Mouton 87) post canis non rabidi morsum sanatum, pemphigum brachium praesertim vulneratum aggredi vidit. Exanthematum suppressio graviozem exhibet causam; sic teste Cel. Haase, scabie ha-

85) Dictionaire etc. l. c. p. 128. Reil, Cur der Fieber, l. c. p. 424. Haase l. c. Bd. 4. p. 330. Hufeland's Journal Bd. 57. J. 1823. St. 1. p. 65. sq.

84) Nosologia methodica l. c. p. 430, Species: „Pemphigus major.“

85) Auserlesene Abhandlungen etc. Bd. 18. p. 484.

86) Hufeland's Journal. Bd. x. St. 3. p. 100.

87) Salzburger Medicinisch-chirurgische Zeitung. J. 1813. Bd. 1. p. 67.

mida repulsa, pemphigus effloruit. Huc porro pertinent mensium, lochium et haemorrhoidium suppressio, et omissae sanguinis evacuationes consuetae 88). Quodsi corpus nondum debilitatum fuerit, ad morbum provocandum potiores accedant causae, necesse est. Sic, e. g. Cel. Marcus (l. c. p. 386 — 390), in viro quodam, antea omnino sano, post veneficium cum pulvere arsenici, pemphigum ortum esse dequit, quo, annis quatuor praeterlapsis, demum liberatus est aegrotus. Pemphigum contagiosum esse, plures negant auctores 89). Husson 90) et Martin 91) nonnullos infantes lacte vesicarum pemphigi inocularunt, morbus tamen provocatus non est. Dr. Thomas 92) adultum inoculavit; post octo

88) Dictionaire etc. l. c. p. 128 — 129.

89) Dixon, l. c. p. 135 et 146. Bateman l. c. Anmerk. 162 Hall, Auserlene Abhandl. etc. Bd. 18. p. 487. Wichmann Beitrag zur Kenntniss des Pemphigus. p. 12.

90) Recherches historiques et medicales sur la vaccine. Edit. 3. p. 144.

91) Journal de medec., chirurg. et pharmac. Tom. II. p. 225.

92) Salzburger Medicinisch-chirurgische Zeitung. J. 1818. Bd. 2. p. 274.

dies elapses, loco inoculationis vesicae apparebant duae, quae citissime tamen sicciscebant, nec pemphigus revera excolebatur. Homo aliquando, qui per tres menses vulnera pemphigo laborantis quotidie deligaverat, herpate humido correptus est, et Dr. Bruekmann 93) eo probare studet, materiam morbi vesicularis inficere posse, quod tamen nullo modo argumento esse potest. Quod si enim de infectione sermo est, eundem morbum oriri oporteret, hic vero herpes provenerat humidus. Ita ut quilibet continuus, lenis adeo cutis stimulus exanthema provocare potest, idem quoque pemphigi vesicarum, praesertim acris latex efficere valebit, quod quidem observatione illa comprobatur, nec aliud quidquam praeterea. Hisce observationibus compertis, omni jure illorum opinioni adsentimus, qui pemphigi naturam negant contagiosam,

§. 19.

Secundum Cel. Haase (l. c. p. 351.) inter causas excitantes acidum phosphoricum liberum, non ligatum in humorum massa, primum tenet locum, sive excretionem relative imminuta per

93) Horn's Archiv etc. J. 1811. Bd. 2. p. 68.

urinam praevaleat; ut in aegrotis, lithiasi et renum aegritudine laborantibus, sive immediate, medicaminis instar adhibitum, invehatur. Sententiae posteriori sequens ansam praebuit observatio: puella scrophulosa nono aetatis anno in extremitatibus inferioribus primum pemphigi impetum experiebatur (l. c. p. 320). Quatuor annis praeterlapsis, quum suppurationis scrophulosae glandularum axillarum causa, acidum aliquamdiu porrigeretur phosphoricum, pemphigus denuo in facie effloruit. Illico quoque sponte acidum phosphoricum morbi causam pronuntiavit, et quo diutius illo utebatur, eo magis etiam vesicarum copia aucta est. Simulac acidum remotum fuit, exanthema inter quatuordecim dierum spatium (l. p. 329) et sine artis quidem auxilio (p. 37) evanuit. Cui observationi innititur sententia supra prolata, quam quidem illa vel magis confirmari perhibetur experientia, quod remedia, valide oxygenium attractentia, maximam ad pemphigum sanandum exhibeant efficaciam.

Posteriorem experientiam minime quidem negare in animo est, nihilominus auctori doctissimo adsentire nequeo. Quoad acidum phospho-

ricum in humorum massa liberum, nec illud nec omnino acidum non ligatum, in humorum massa circulari posse credo, nisi simul viribus chemicis in humores ipsos agat, eos coagulet et ad circulandum ineptos reddat, (quo quidem ipsum acidum ligaretur), vasa denique continentia vehementissimè stimulet, ut vel organisatio illorum destruat vel vitalitas saltem eo gradu afficiatur, ut inflammatio late extensa systematis vasorum oriatur, quod tamen in pemphigum nequam quadrat, ubi inflammatio saepissime parvas tantum cutis partes et illarum quidem superficiem occupat. Deinde nec alkali nec acidum liberum unquam reagentium opè in humoribus detecta fuerunt, quod semel saltem sine dubio accidisset, si quidem substantias illas eo modo nonnunquam in humoribus nostris adesse, certum foret et exploratum. Porro latex vesicarum pemphigi, ubi potissimum acidum illud repudiandum esset, quantum hucusque experimenta instituta docuerunt, nullum ejusdem vestigium exhibuit. Quod aegroti, a Cel. Haase tractata, inter noui medicinali acidi phosphorici, pemphigi eruptionem passa sit, nequaquam argumento inservire potest, acidum illud

statu libero in corporis humoribus versari; ad summum statuendum erit, illud majorem lymphae oxydationem, jamjam in scrophulis praesentem 94), produxisse, ita ut irritabiliores fierent humores, et vasa ad stimulum huncce anomalum eliminandum disponerent. Hisce sub conditionibus dicto in castu quodlibet sane alius generis acidum idem effecisset, et sic forsitan acidum sulphuricum aut muriaticum, non minus ac phosphoricum, in pemphigo laborantium humoribus, causam exhiberent excitantem. Quodsi Cel. Haase ita loquitur: „Die oxydirende Kraft der Phosphorsäure ist es übrigens wohl, die hier zunächst das Exanthem hervorruft,“ peculiarem acidi illius efficaciam optime utique constituit, humoribus enim majorem oxygenii copiam impertiens, illos irritabiliores reddiderat, atque eo modo exanthematis eruptioni ansam praebuerat. Vis oxydationem producendi cuiuslibet inhaeret acido, et siquidem ex eo penderet eruptio, quodlibet alius generis acidum idem, uti jam a me animadvertum est, perfecisset. Cuius acidum denique phos-

94) Haase, Chronische Krankheiten. Bd. 3. p. 405. §. 294.

phoricum sat crebro a medicis nonnullis porrigatur, haud raro certe eveniret, ut usus ejus ultra justum modum extenderetur, quo facto, pemphigus, si huic acido peculiaris morbi cieiendi inesset facultas, saepius, eo adsumto, efflorescisset, quod tamen nemo factum esse conqueritur. Quibus prolatis, sat perspicue elucet, neque acidum phosphoricum non ligatum in humorum massa concedi posse, neque ei opinioni adsentendum esse, quod acidum phosphoricum, medicaminis instar adhibitum, pemphigum magis excitet, ac quodlibet aliud, praesertim acida mineralia. In universum non a crasi quadam humorum solum pemphigus originem ducere videtur, sed corporis nostri etiam dispositio quaedam peculiaris ad eum provocandum postulatur, cujus quidem naturam vix eruere valemus. Utilitas remediorum, oxygenium attrahentium, postremo nil ad acidum phosphoricum in humoribus liberum probandum confert, quia medicaminum efficacia non mere chemice consideranda, alioquin enim eodem jure contendere possemus, quum acida ad scorbutum sanandum magis sint momenti, alcali in humoribus liberum scorbuti symptomata necessario producere.

§. 20.

Cutis et organorum systematis uropoëtici sympathiam sat perspicue a variis conditionibus agnoscimus pathologicis, ubi alterum systema alterius fungitur vicibus. Perspiratione cutis quamlibet ob causam suppressa, omnia morbi symptomata tolluntur, si urina magis solito saturata et majori copia mittitur. Hydrops cutaneus plerisque in casibus per urinam judicatur. In ischuriis e contrario cutis functiones organismi, se et excretionem urinae impedita, laesas, in integrum restituere conatur, quum illius perspiratione partes urinales, quod odor, ab aegrotis sparsus, satis innuit, evehantur. Substantiae, quam saepissime in organa uropoëtica vim exhibentes nonnunquam provocant exanthemata. Duce Braune (l. c. p. 59) aliquando modicum nucis aquaticae (Trapa Linn.) usum, urina turbida acrisque subsecuta est, quae in urethra ardorem ciebat, alia vice, in iisdem hominibus, post eosdem fructus comestos, urticaria orta. Herba jacaee tum modo multum contra crustam lacteam valet, si post ejus usum, urina, ei similis, quam feles mittere solent, missa fuerit. Talia exempla majori in copia adhuc proferre posse-

mus, ni ad vicariam actionem cutis et organorum uropoëticorum probandam, jam dicta sufficerent. Medicis ergo in pemphigo aegrotantibus saepissime functionum organorum uropoëticorum turbationes animadvertentibus, potro, morbum eo gradu augeri, quo urina contra normam parca et aquosa excerneretur, vice versa autem immānu et disparerē, observantibus, sympathia praeterea inter cutem et organa uropoëtica cognita, et specialis hujusce experientiae ratione habita, medicis inquam, jure concludere licuit, pemphigum cum urinae secernendae turbationibus nexū quodam arctiori cohaerere, in quo et plures novissimi temporis ductofes v. g. Braune, Keil, Haase, I. Frank consentiunt. Eodem modo etiam varias inter pemphigi causas remotas invenimus nexum; in hysteria et hypochondria, in arthritide et scrophulis, cuilibet sanè medico secrecionis urinae anomaliae sat superque cognitae sunt.

Merito nunc quaerimus, quales in urinae secrecione turbationes pemphigum excitant. Propriate enim et peculiāris rationis sint necesse est, quum haud raro utique urinae secretio laesa animadvertatur, pemphigus vero rarissime inve-

hiatur. Sed proh dolor! ob mancam adhuc scientiae nostrae conditionem huic quaestioni respondendo satisfacere haud valemus. Quamdiu de secrecione in genere nil certi et explorati disciplina physiologica in lucem profert, tamdiu incassum pathologicae illius aberrationes eruere studebimus.

Nihil igitur nobis relinquitur, nisi ut id, quod illius actione produciitur, urinam videlicet, respiciamus, et ex craseos illius vitis concludamus, materias nonnullas secernendas in organismi humoribus remansisse, quae tanquam pemphigi causae excitantes considerandae sint. Quae quidem craseos vitia chemiae ope tantummodo detegere, possumus; verumtamen urina pemphigo laborantium nimis parum hucusque indagata fuit, et vix quoque crediderim, nos eo modo ad finem exoptatum perventuros, quum chemia neutiquam et minimas, quae in mixtione secreti alicujus adsunt varietates, explorare valeat, quod maxime tamen necessarium esset, ad fidem integram huic disciplinae tribuendam. Qualitates physicae urinae pemphigo laborantium magnopere variant; modo limpida, aquosa, modo turbida, serota, sanguinea, mucosa, cum la-

vidibus mixta deprehenditur, sic haud dubie qualitates chemicae quoque anomalias offerrent, ut neque hac ratione ad liquidum confessumque res perduceretur. Praeterea stabilis secretorum norma adhuc deest. Quodsi duce Cel. Haase praesumere velimus, cum urina minorem salium phosphoricorum copiam excerni, ut in aegrotis, arthritide et lithiasi affectis, observatum esse dicitur, neutiquam tamen explicari posset, qui sit, ut arthritide et lithiasi affecti rarissime tantum pemphigo laborent, quum urina illorum saepe frequenter illi mixtionis vitio exposita fuerit, et quam ob causam in ischuria spuria, ubi urinae secretio, nisi omnino, maxime tamen ex parte, suppressa est, sales igitur illi magis minusve non secernuntur, pemphigus non semper efflorescat? Res omnino in eo versari videtur, quod ad pemphigum provocandum non organorum uropoëticorum solum conditio et certa urinae qualitas sufficiant, sed peculiaris totius organismi et cutis in primis dispositio etiam requiratur, cujus tamen naturam neutiquam definire valemus, ita ut erui nequeat, quare, laesis hepatis functionibus, modo erysipelas modo icterus oriatur.

Illis in casibus, ubi pemphigus sine orga-

norum uropoëticorum in functione sua turbationibus animadversa est, vel ob magis perspicua morbi symptomata non observatae, vel eo tantum gradu excultae fuerint, ut sensibus nostris percipi non possent, vel denique in corpore nostro forsitan earum, quae per urinam evehuntur, partium copia adeo aucta est, ut pemphigus adeo, licet urina, quoad qualitatem et quantitatem, normaliter missa sit, subsequatur, quod tamen semper rarissime quidem continget.

Mixtione et copia urinae immutata, renes in primis, organa videlicet urinam secernentia, laborant, et quidem vel magis dynamicè, vel organisatio simul illorum laesa est, quod in pemphigi therapia haud vilipendendum, quia aliter res se habet, si organa uropoëtica spasmo afficiantur, celeriter transeunte, aut si indurati sint, aut calculi illis inhaereant. Diagnosin specialem variarum illarum conditionum consulto praeterimus, quia dissertationis nostrae limites nimis excederet.

Hisce omnibus perpensis atque ponderatis, jure utique statuendum est, peculiarem organismi indolem, qua pemphigi vesicas propullulant, nondum defini posse, et relictas nonnullas urinae partes ad morbum provocandum non suffi-

cere. Nihilominus sympathia inter cutem et organa uropoëtica respicienda semper est, ut majori cum successu morbum debellare valeamus, secundum experientiam, jam supra prolatam, pemphigum evanuisse, si normalis mittebatur urina, et vice versa rediisse.

§. 21.

Quodsi momentorum praedisponentium seriem perlustramus, plures morbos, in nosologia jam receptos, invenimus, quae pemphigum antecedeant, quorum symptomata saepius cum pemphigi phaenomenis conjungebantur, imo, signa pathognomonica horum morborum inter exanthematis eruptionem nonnunquam plane regressa, illa evanescente autem, denno exulta fuisse, observavimus. Omnibus hisce in casibus pemphigus merite tanquam morbus secundarius considerandus, ceu primarius autem, si homines ante sanos, qui occasionalibus expositi erant causis, sufficienter agentibus, aggreditur, illoque diutius perdurante, alii demum accedunt morbi. Secundum hodiernam experientiam pemphigus saepius morbi secundarii quam primarii exhibet speciem, quod quidem prognosis et therapia respicere debent.

Caput V.

Morbi prognosis,

§. 22.

Quod prognosis in genere attinget, infausta videbitur, ob mali pertinaciam, quae vel ex eo colligitur, quod morbus ille lubenter eundem invadat hominem, et quasi dispositionem in organismo gignat, quae levissimis momentis, vim noxiam exercentibus, ejus provocatur reditus. Neque minus mala auguria ex eo petuntur, quod per annos preseveret (uti jam exempla, in §. 12 prolata docent), omnia medicorum molimina eludat, et aegrotum, diu vexatum, tandem vita privet. Respectu sanationis pemphigi prognosis in universum igitur sinistra, morbum autem secundum vitae periculum, in quo aegrotus versetur, medicantibus, meliora apparent omnia. Ad prognosis casuum singularium rite stabilendam, respicienda sunt: 1) Febris, exanthema comitans. In febribus inflammatoriis, catarrhalibus, gastricis meliorem hauriamur exitum, quam in nervosis. 2) Causae praedisponentes et excitantes. Quo difficilius illae sunt removendae, v. g. arthritis, hysteria, scrophulae etc., eo minus sanatio speranda erit radicalis ei

stabilis. In vitis organicis renum, in hominibus porro provectoris aetatis et illis, qui morbis, penuria et laboribus nimis debilitati sunt, pessima prognosis, praecipue si diaeta congrua utendi atque causas occasionales evitandi, praesidiis destituuntur. 3) Exanthematis in cute ambitus. Quo minori copia erumpunt vesicae, eo melius, pessime e contrario res se habet, si vesicae nimis confertim efflorescunt, confluunt, et magnae corporis partes epidermide sua privantur, ut Cel. Wichmann in casu quodam observavit, partim ob laesam cutis functionem, partim ob serosarum materiarum jacturam, quod utrumque momentum anomalias organismi, quibus pemphigi laborantes jam sat superque obnoxii sunt, augendi facultate pollet. 4. Frequentiores seu rariores exanthematis eruptiones. Dolores, pemphigum comitantes, quietem et somnum aegroti turbant, quod, quo saepius fiat, eo majora inde enascentur incommoda, quae, cum sub no. 3 allatis, conjuncta, debilitatem universalem, maciem, postremo hecticam adducent. 5. Laticis in vesicis contenti, conditio. Quodsi latex mitis est, brevi nova gignitur epidermis,

sine cutis et subjacentium partium desorganisatione, & contra acris animadvertitur, ulcera maligna, gangraenosa oriuntur, ita ut partes integrae emoriantur et separentur, ac majoris momenti sensus, veluti in Cel. Wichmann aegroti, oculi, destrui possint. 6) Locus, ubi pemphigus prodit. In corporis superficie externa, exanthematis in facie, in oculis et in capilloso capitis parte sedes infaustissima, tum propter cicatrices remanentes, quibuscum faciei deformitas conjuncta est, tum ob periculum, ne nobiliora sensus organa laedantur, denique, quia capitis tegumentorum inflammatio facillime ad cerebrum transire potest. Eruptio interna vero sine dubio peioris adhuc est auspicii. Vesicae nunquam praeter oris cavum, oesophagum, etiam, ventriculum et tractum intestinorum occupant, et aegrotum non solum molestiis quam maximis afficiunt, sed enteritidis etiam periculum minatur, quae et citius aegrotum necat, et morbos secundarios gignit graviores, secius ocios letiferos. 7) Species vesicarum. Interdum vesicae, quoad speciem, mutatae et abnormis apparent; tum praecipue habitus illorum sanguineus in terrorem nos

conjiciet. Audiamus, quid Ill. Reil 95) ea de re proferat: „Die rothblaue Farbe einzelner Blasen, die von einer zufälligen Zerreiſung eines Blutgefäßes in ihnen herrührt, darf uns nicht in Furcht setzen; aber eine allgemeine Bläue derselben deutet auf eine Abgestorbenheit der ganzen Blutmasse hin.“ 8) Optima tandem erit pemphigi prognosis, si gravioris morbi exhibeat crisin, cujus rei Ill. P. Frank nobiscum communicavit exemplum, ubi hepatitis tali modo judicata fuit.

Caput VI.

Morbi cura.

§. 23.

Pemphigi hucusque minus felici cum successu curati, quippe quum morbus ipse non per annos solum perseveraret, sed remotus etiam facillime rediret, non in eo tantum ratio quaerenda, quod remedia sine indicationibus congruis et methodo mere empirica adhibita sint, ut Cel. Haase 96)

95) Reil, Cur der Fieber I. c. p. 426 — 427.

96) I. c. p. 345. §. 674, Bd. 4.

opinatur, sed maxima ex parte sane ex eo pendet, quod pemphigi causae interdum difficilissimum saepius haud omnino amoveri possint. Quis, quaeso, gloriabitur, in scrophularum, arthritidis, hysteriae etc. curatione, summa quoque adhibita industria et assiduitate, et sub indicationum, quam maxime convenientium auspiciis, semper multum profecisse? Quae mala prohi delerent nimis frequenter sane artem nostram eludunt et siquidem pemphigus, ut negari nequit, saepissime cum illis nexu quodam sociatus est, pertinacia ejus infelixque omnium eum sanandi moliminum, successus, facillime explicatur. Quantumvis Cel. Haase aegrotam suam, pemphigo labrantem, modo rationi consentaneo, certaqué indicia sequens, tractaverit, pemphigus tamen, cui curanda operam impendit, minime firmiter sanatus fuit, cum diathesin scrophulosam tollere non valeret. Nihilominus Cel. Haase optime de pemphigi cura meritus est, quum principiis magis rationalibus illam superstruere studeret, et remediis, hunc ad morbum sanandum propositis, rectius uti deceret, quia nunc facilius ac prius, malum debellaturum esse, probabile videtur.

Sequentibus indicationibus satisfacere medicus debet:

- 1) Causarum remotarum rationem habeat.
- 2) Morbo ipsi medeatur pro febris comitantis natura et inflammationis gradu.
- 3) Regimen congruum atque dietam praescribere haud negligat.
- 4) Morbo victo, curam adhibeat idoneam secundariam.

§. 24.

Quoad indicationem primam, quae causarum remotarum rationem habere, jubet, non obliviscatur medicus, causas et praedisponentes et excitantes exstare, seque posteriores inprimis spectare debere. Quodsi nullam detegere possit, vel si haec, post vim exertam, sublata statim fuerit, illius sequelam tantummodo, morbum puta, respicere conducet. Aegroti est, si refrigerium vel terror causas sistunt occasionales, momenta illa noxia evitare. Quodsi suspicio movetur, remedia, majorem producentia oxydationem, ut v. g. acidum phosphoricum, momentorum excitantium instar habenda esse, illico removeantur. Exanthemata suppressa, remedia,

jam cognitis restituere oporteret. Cel. Haase 97) autem illam indicationem fictam nuncupat, quum neutiquam in medici potestate positum sit, exanthemati efflorescenti peculiarem scabiei et herpeticis indolem imperire, et a verisimilitudine minime abhorreat, illum moliminibus suis novam tantum morbi eruptionem et majorem mali propagationem effecturum. Credimus quidem, auctorem doctissimum haud temere illud periculum vereri, nihilominus ab opinione praeceptoris mei Dr. L. A. Struve dissentire nequeo, qui hocce in casu evacuationem continuam substantiis videlicet vesicantibus, producere, ut nova morbi eruptio evitaretur, suavit, quum remedia illa aegrotae nostrae adeo profuerint, et neutiquam pemphigi eruptionem excitaverint. Quanquam exanthema suppressum hic non obtulit causam excitantem, certissime tamen illorum remediorum efficaciam etiam tali in casu inde derivare possumus, quod nec exanthema, prius obvium, nec pemphigum sint provocatura, sed viribus tantum derivantibus polleant. Quoad alia, ad exanthemata suppressa provocanda, remedia, Cel. Haase plane adsen-

timus, illaque etiam magis noxia quam salutifera credimus. Lochia, menses et hæmorrhoides suppressa secundum morbi recens orti indolem, tractamus, inprimis fluxum illorum redintegrare studemus. Saepissime morbi omnino exculi momentorum prædisponentium vices sustinent; curam illorum, tanquam cognitam, præterimus, ne dissertationis limites transgrediamur, præsertim cum pemphigo demum cessante, mala illa removendi studio medicus incumbere possit, neque nobis propositum sit, morborum prædisponentium, sed solius pemphigi therapiam exponere. Pemphigi et morborum prædisponentium cura tamen saepius in unam eandemque rationem concurrat; quare, secundam indicationem explorantes, quae hoc respectu necessaria videantur, proferemus.

§. 25.

Indicatio secunda, pemphigum ipsum, tum pro febris natura tum pro inflammationis gradu curare, praescribit. Febris saepe characterem rheumatico-catarralem refert; maxime congrua ideo erunt remedia: Kal. nitric. cum Emuls., Sal ammoniac, Liq. ammoniac.

acet. cum Infus. flor. sambuc. et diaeta antiphlogistica. Febris gastrica e contrario exoptulat Emetica, Natr. sulphur., Magnes. sulphuric., Tart. boraxat. etc., et serius adhuc digestivorum usum, siquidem exanthema status comitatur gastricus. Cum febris adest adynamica, modo volatilia excitantia sola, modo tonicis conjuncta, porrigenda, prouti vel mese nervosa, vel jam putrida morbi sit indoles. Casu posteriori etiam acida mineralia adhiberi possent, alias ad pemphigum sanandum inutilia et noxia. Febrem intermittentem vel cum Evacuantibus, vel cum China, Chinin. sulphuric. Opio, debellare molimur, et, ut paucis dicam, omnibus illis in casibus pyretologiae præcepta observanda.

Quodsi cutis inflammatio vehemens invenitur, atque ægrotus ardore et dolore nimis vexatur, sanguinis evacuationes proderunt, sed plerumque certe topicae tantum per sanguisugas atque cucurbitulas scarificatas, quia morbus maxima ex parte homines jam debilitatos aggreditur, et status sthenicus cum febre synochali vix expectari potest. Cel. Marcus (l. c. p. 394) in ægrotis suis tractando, pluries sanguinis evacuationibus usus est, universilibus sine dubio, quoniam febris ab ini-

tio morbum comitans, synochae proxime accedebat. (l. c. p. 386) Viri Cel. Reil (l. c. p. 428) aegrotus, diu incassum curatus, bis cucurbitulis scarificatis adhibitis, vesicarum imminutionem observavit. Puella, cujus Haase (l. c. p. 338) mentionem fecit, curbitulas scarificatas facie applicari passa erat, qua re per plures dies levamen ei afferebatur. Primo eruptionis stadio, nisi sanguinis evacuationes indicatae essent, balnea tepida cum furfure ad pruritus atque ardorem imminuendum conferrent, ubi tamen cavendum est, ne vesicae, jam excultae forsitan, rumpantur, quod dolores auget. (Struve)

Quum vesicae intrinsecus eruperint, et inflammatio gradus altiores attigerit, sanguinis evacuationes et topicae et universales summopere commendandae. Salva in aegroti glutendi facultate, remedia tantum mitissima porrigenda, v. g. Emulsiones, lac tepidum, Decoct. granor. sagu, sem. oryzae, rad. salep etc. Aegroti quaedam in nosocomio Edinburgensi, eruptione pemphigi interna laborans, nec mitissimum laticem ore suscipere et minus adhuc deglutire poterat, ob vehementes dolores qui inde excitabantur. Re-

būs misere adeo comparatis, Dr. Gregory 98) clysmata e lacte bubulo ordinabat, quae aegrotae subinde applicabantur, tam prospero quidem successu, ut rursus alimenta et medicamina per os suscipere valeret. Lac certe non mitigantis solum usum praestabat, sed nutritioni quoque inserviebat, et nisi inflammatio profundius in tractum intestinorum descenderit, alia quoque clysmata nutrienda cum fructu adhiberi possent. Simul cutem fortissime irritare oporteret, eo consilio, ut exanthema in superficie corporis externa efflorescat, v. g. per sinapismos, pedi-manuluvia, farina Sem. sinap., cinere, Natr. muriatic. actiora tactis, porro partes fortiter fricando. Forsan usus Empi. cantharid. nonnunquam magis periclitandus esset, siquidem e duplici ejus, ad cutem videlicet, et organa uropoetica, ratione, aliquid boni expectari posset.

§. 26.

Febre et inflammatione vehementi a medico superata, et pemphigi eruptionibus deinde cum signis inflammationis minus gravibus prodeunti-

98) Samuel Ferris, Abhandlung über die Milch; 4. d. Engl. Leipzig 1787; p. 149. sq.

bus, monente jam Cel. Haase (l. c. p. 338) merito demum remediis, valide oxygenium attractentibus, uti conamur, ut e. g. alkalis ac nonnullis sulphuris praeparatis. Haec enim non vixibus solum antiphlogisticis minime gaudent, sed quae ad posteriorem seriem pertinent, excitantibus adeo et calefacientibus praedita sunt, unde liquet, illa in inflammatione activa conducere non posse, quum in casu priori inflammationi tollendae haud accommodata sint, in altero vero, quod pessimi foret effectus, intensitatem illius augeant. Illo igitur in morbi statu quam maxime indicantur, si inflammatio jamjam characteris passivi offert speciem, ubi et chemicae et dynamicae illorum vires efficaciam exhibere possunt. Quae remedia tum potissimum haud dubie vi salutifera pollebunt, quando pemphigus ejusmodi cum morbis conjunctus est, in quibus hyperoxydatio humorum manifesto apparet, ut v. g. cum scrophulis, arthritide, lithiasi, potro si vesicae urinae vel renibus calculi incidereant. Nihilominus medicus et rebus aliter se habentibus, illa periclitetur oportet, quum experientia haecce remedia adhuc plurimum comprobaverit. Ea vero non eam ob causam, quia

acidum phosphoricum in humorum massa liberum ligat, illudque ad evacuationem, organorum uropoeticorum ope, magis congruum reddunt, quod Cel. Haase opinatur (l. c. p. 339) auxilium adferre, sat superque ex illis, quae s. 19 contra acidum in humoribus non ligatum diffusivius prodit. Quibus remediis adhibitis, si major phosphoricum et urinosorum salium copia excernitur, dubitandum tamen, an sales illi in sanguine jam formati fuerint, ex actione renium secretoria potius orti videntur; quae salium illorum partes constitutivae remotiores, quarum in sanguine praesentiam nemo certe negabit, conjunctae, in propriam salis substantiam convertuntur atque ita e corpore excernuntur. Elementorum igitur potius remotiorum, acida constituentium, ubertatem, atque inopiam earum partium, quae basin constituunt, quam acidi liberi, ligandi, neutiquam tamen comprobati, abundantiam in humoribus pemphigo laborantium, praesumere liceret. In universum minime unum idemque est, num corpus vivum, aut repta chemica obvia nobis sunt; in posteriori processuum chemicorum ratio et eventus erunt diversa

uminoque, aliâ, quam priori in casu, ubi vis vitalis affinitati chemicæ opponitur, atque hanc quam maxime immutat. Quare nec hoc respectu sententia Cl. Haase de usu remediorum, oxydationem tollentium, mere chemicæ duntaxat explicationi inserviens, comprobanda.

Quoad remedia in specie, sequentia sunt, quorum virtus ac vis salutifera experientia jam commendata, et analogia duce cognoscitur.

1) Aqua Calcis. Aegrotus ille, antequam Cel. Wichmann ei opem tulit, per novem menses Acidis, Cort. Chin., Antimonii præparatis, Radix sassaparil. etc., incassum usus erat. Wichmann Aq. calcis cum lacte majori in copia bibere et lacticiniis tantum frui, ei præscripsit, quo facto, tussis, ejectio puriformis, sanguinea, simul cum febre evanere, debilitas imminuta est, et vulneribus, quibus aegrotus ex pemphigi vesicis late tectus erat, simpliciter curatis, sensim sensimque intra trium mensium spatium melius se habuit 99). Braunne aquâ calcis prospero cum successu usus est; vesicæ rarius apparebant, nec calculi uriniales amplius prodibant. Aqua calcis,

99) Beitrag zur Kenntniss des Pemphigus. p. 8—9.

etiam facillimè obstructions cieat, nonnunquam aloëtica, et, ad spasmos sanandos, asa foetida per vicès portigebantur (l. c. p. 19—25) Braunne quotidie Aq. calc. bibi jussit, et docente Haase, omniâ alkalia continuo et majori in copia sunt adhibenda. (l. c. p. 339)

2) Natrum carbonicum, saponem medicatum, thermas Carolinae, Liq. natr. caustic, Ill. Reil, ubi calculorum urinalium adesi suspicio, proposuit. (l. c. p. 428.)

3) Sulphur et nonnulla ejus præparata. Reil aegroti suo aliquamdiu Kal. sulphurat. ordinabat, quo morbus imminuebatur. Idem tamen quoque, Kali arsenicoso adhibito, eventisse observabat, et quia in utroque casu illae partes, ubi maxima vesicarum copia invenitur, cum solut. sublimat. corrosiv. et Ammon. muriatic. lavabantur, observatio illa Kali sulphurati, ad pemphigum sanandum, virtutem, revera parum comprobat. Majoris momenti autem sequens a Cel. Haase (l. c. p. 340) prolata observatio: aegroti, post scabiem humidam suppressam pemphigo laboranti, remediis plurimis quae

ad morbum illum sanandum celebrantur, incasum adhibitis, Kal. sulphurat continuo intrinsecus porrexit, extrinsecus vero lavacris cum Calcaria sulphurata uti jussit, eumque in integrum restituit. Eodem loco Cal. Haasec questionem proponit: anae forsam Ammon. hydrogenato-sulphurat, ita ut in diabete mellito multum conducere possit? nec dubitamus, quin remedium illud interdum magnam efficaciam exhibeat. Vim Aquae hydrogenato-sulphuratae ad pemphigum sanandum hand parvi pretii esse, et sequens testatur observatio: Joh. Tinolli 100) autem aegroto, pemphigo affecto, qui jam per duos annos hocce morbo laborans, macilentus debilisque factus erat, auxilium ferret, rogatus, quotidie matutino tempore Magnesiae ℥ij. et Tart. subiat. gr. ʒ propinari, et per diem Aq. destillat. cum gase hydrogenato-sulphurato impraegnatae Lib. iiii. ℥. libi. et extrinsecus Unguent. cum sulphure et merc. praecipit. albo inungi jussit, quibus adhibitis homo sanatus fuit. De usu sulphuris ex-

terno Plumbet 101) ita memorat: „Der Nutzen des gewöhnlichen warmen Bades ist sehr zweifelhaft, aber das des Schwefeldampfbades ist in einem Falle in dem Spital für Hautkranke ansero deutlich nützlich gefunden worden.“ Ubi ejusmodi remedia tantam efficaciam exserunt, illa, quae omnino contrariam indolem praeseferunt, noxia sint oportet: in universum igitur acida vitanda, viroque Joh. Frank (l. c. p. 412) acida fortissima, mineralia quippe, et ex iis imprimis Acid. nitric., laudibus celebranti, non adsentendum censemus.

§. 27.

Secundum medicamentorum classem, sub conditionibus, inris §. 26 prolatis, demum periculis tandorum, diuretica exhibent, quorum convenientia illa certe observatione nititur, pemphigus, utina majori in copia excreta, imminutum fuisse, quin imo disparuisse. Proposuit Ill. Hufeland 102) Rad. sarsap., Stipit. dulcamar., Scill. marit., Digit. purpur., Branne (loc. p. 72) Scill.

100) Nuovo giornale della piu. recepta, letteratura, medicina, T. 5. p. 126. Item Salzburger Medicinisch-chirurgische Zeitung J. 1799. Bd. 2. p. 424.

101) l. c. p. 117. Item Report of Infirmary for cutaneous Diseases.

102) Hufeland's System der praktischen Arzneikunde. Bd. 2. Abthl. 3. J. 1808. p. 225.

marit., Colchic. autumnal., Milleped.; Riecht. (l. c. p. 615) Herb. digit. purpur. in conubio cum Merc. dulc., praeterea Bacc. juniper. Wichmann 103) Herb. jaceae cum lacte coqui et Decoct. bibi. jussit, sed, quatordecim diebus praeterlapsis medicamentum illud remove cogebatur, quia non levamen, sed diarrhoeam periculosam, adducebat. In alio casu Rad. Meserici frustra adhibuit.

Quum urinae quantitas et qualitas per varias immutetur causas, satis liquet, usum remedium illorum non ubique prodesse. Ad eas igitur conditiones morbosas lectorum animos convertemus, ubi contraindicata sunt, quo facto ultro prodibit, quando vim exerceant salutarem. Evitanda ergo sunt:

1) In affectione spastica organorum uropoëticorum qualis v. g. in hominibus hypochondria et hysteria affectis, observatur. Urina tum inodora et decolor mittitur, quantitate tamen saepius nequaquam imminuta. Frustra vitia illa qualitatis remediis supra memoratis emendare moliremur, quia spasmus, causam quippe motricem, tollere nequeunt. Rebus ita se habentibus, potius Asa foetid., Opium, Moschus, Valeriana, Castorem etc. eliguntur, partim interne partim in clysmatibus et inunctionibus adhibenda. Inter diuretica Digit. purpur. solum certe offerre medicamentum, hac sub conditione, saluiferum.

2) In renum indurationibus. Quum sub indurationibus illis saepissime quidam inflammationis gradus lateat, diuretica, supra memorata, omnino fere excitantia, illam auferent et gra-

vius redderent malum. Hic Belladonna, Merc. dulc., Extr. resolventia, potus glutinosi, diluentes, prodesse possunt.

3) In renum calculis. Ad calculos solvendo et procreationem illorum coercendam kalia praestantissima sunt remedia, diuretica hoc efficere non valent. Illorum cum Kaliis conubium tunc demum congruum, siquidem praeter calculorum productionem, organa uropoëtica majori laborant adynamia. Excitantia illa tum organorum uropoëticorum actionem auferent, et pseudoproductionum, sub calculorum et glareae forma, adjuverent excretionem.

4) In nephritide et conditione renum subinflammatoria, ubi methodus indicata est antiphlogistica.

Quodsi contraindicationes illae desunt, diureticorum ad pemphigum sanandum facere possumus periculum, imprimis:

- 1) Si pemphigus, exanthemate suppresso effloruit, et crisis per organa uropoëtica non evenit 104).
- 2) In magna renum atonia, ubi forsau cantharidum adeo usus internus haud negligendus esset.

§. 28.

Siquidem aegritudini universali rite medemur, plerumque vesicae haud respiciendae, ruptio illarum tantum cavenda. Nonnunquam tamen exanthema illiusque sequelae, et omnino morbus remediis egent externis. Aegrotis levamen adferre crediderunt, vesicas aperiendo, quod

103) Beitrag zur Kenntniss des Pemphigus, p. 9.

104) Haase l. c. p. 341.

neutiquam tamen experientia comprobatur, dolores enim eo augebantur et suppurationi ansa praebeantur. 105) Braune (l. c. p. 70) tunc verum vesicas aperiendas suscitavit, si tensione maxillae quoddam consequeretur, ut in oculis, genitalibus et ano observavit. Latice effuso epidermis non detrahatur, quia cutis denudata nimia sensibilitate praedita, aëris vel materiarum adhuc rudiorum actione immediata nimis irritaretur. Res aequae se habet, ac in vesicis a combustionibus vel remediis vesicantibus ortis. Runtura vesicarum praeterea tunc tantum indicata est si latex contentus acris et corrosivus, partes subjacentes, longiori actione vehementissime irritans, ulcerum malignorum formationem adjuvaret. Vesicis quacunquae ex causa aperiatis, remedium mitorum duntaxat usus levamen adfert, v. g. Ol. oyor., amygdal. recens express., Butyr. Cacao etc. Haase (l. c. p. 344) rebus ita comparatis, lavacra et Decoct. Sem. lin., Capit. papav. alb., et Herb. hyosclam. laudat localia. Richter (l. c. p. 612) lintea subtilissima, in Aq. rosear. et Mucilag. sem. cydon. immersa, imponere praecipit. In tali rerum conditione remedia saturnina allaque fortiter exsiccantia, noxia fore, liquet, quum partes nimis irritantur sensibiles. Ruptis vesicis et crustis solutis maculae madentes in ulcera maligna, gangraenosa transcurrentes, maculae um et ulcera substantiis, acidum carbonicum gignentibus, v. g. cataplasma. Tuber. solan., Rad. Danc. carot. etc. curantur, porro Liqueam. Myrrh. cum Decoct. Cort. chin., querc., ulm. campestr. quibus Camphor. et Aq. Calcis adjungi possunt.

105) Horn's Archiv für die medicinische Erfahrung J. 1811. Bd. 2. p. 67. Richter l. c. p. 612

106) aliquando felici cum successu Aq. vegeto-mineral. Goulard. et Pulv. calaminar. usus est, hoc vero in casu maculae magna atonia laboraverint oportet, iisdemque sub conditionibus Solut. merc. sublimat. corrosiv. et Ammon. muriat. a Cel. Reil commendata, adhibenda esset. Non minus caute Unguent. hydrarg. ciner. et praecipit. albi (Hufeland) periculum faciendum, quae remedia complicationi syphiliticae potissimum sunt congrua. Monente Haase inter remedia externa lavacra alkalina et sulphurata, e solut. Solut. sulphuratae praeparata primum tenent locum (l. c. p. 345). Aegrotus huius bono cum eventu illis usus est. Ubi remedia illa intrinsecus porriguntur, extrinsecus quoque adhibenda. De lavacris tepidis jam supra locuti sumus.

Cel. Hufeland ad pemphigum sanandum ulcera prodesse artificialia dubitat. In aegrotis notati magni erant effectus, ideoque illorum applicationem dissuadere nequimus. Efficaciam eorum ad exanthematum chronicorum sanationem adjuvandam, experientia jam pridum comprobavit, neque observatione a nobis prolata opus erat, cum jam analogiam duces sequentes, de iis recte adhibendis moneremur.

Cel. Marcus (l. c. p. 396) perfusiones quoque Cel. Currie commendatas, indicatas censet. His utique conditionibus obviis, quae in scarlatina et typho contagioso postulantur. Commentatio illa confirmari potest hac observatione Hartmann (107) pemphigum chronicum, per

106) Salzburger Medicinisch-chirurgische Zeitung J. 1815. Bd. 3. p. 322.

107) Hufeland und Harles, Neues Journal der practisch. Heilkunde. J. 1817. St. 4. p. 173.

annos perseverantem, qui omnibus restiterat remediis, cum majori ad gangraenam proclivitate incedebat et usu Camphor. et chinae inflammatorius factus erat, per lavacra gradatim frigidiora et perfusiones gelidas devicit.

§. 29.

Superest, ut aliorum remediorum, ad pemphigum sanandum a nonnullis propositorum, mentionem adhuc iniiciamus. Ab Ill. Hufeland (l. c. p. 427) Opium et Belladonna, a medicis anglicis, teste Reil (l. c. p. 252) Mercurius, postremo Antimonii praeparata commendata sunt. 108)

1) Opium sequentibus in casibus tantum proderit: in vomitu et ischuria spastica, adversus inquietudinem nocturnam, agrypniam et pruriginem cutis molestam, (nisi inflammatio activa symptomata posteriora, excitaverit) porro, si pemphigum febris intermittens seu typhosa comitatur, hic quidem secundum pyretologiae praeccepta.

2) Belladonna in renum indurationibus et pemphigi complicationibus cum arthritide pertinaci.

3) Hydrargyrum et Merc. dulc. quidem Dr. Elgenstierna 109) in duobus febris, si dictae bullosae, casibus, prospere adhibuit. Pemphigus chronicus, cum renum indurationibus imprimis cohaerens, quam maxime Mercur. usum postulat. Marcus (l. c. p. 396) Aethiop. mineral celebrat. Haase vero (l. c. p. 340) prosperum effec-

108) Reil, Cyr der Fieber. l. c. p. 427, Richter l. c. p. 615.

109) Salzburger Medicinisch-chirurgische Zeitung, J. 1822, Bd. 2, p. 117.

tum hic magis sulphuri quam Mercurio adtribuentum opinatur, quoniam, si theoriam respicias, quomodo mercurius pemphigum possit sanare, haud intelligatur. Quodsi Mercurium ad pemphigum debellandum, non pro medicamento habemus universali, sed nonnullis tantum casibus accomodatam censemus, ut morbos praedisponentes, v. g. scrophulas, devincat, cum artis praecceptis nulla profecto reperitur contradictio. Cum vero pemphigus homines adoritur, diathesi scorbutica affectos, ab ejus usu omnino abstinere, consentaneum est.

4) Antimonii praeparata. In pemphigo e cutis perspiratione suppressa, orto, Tart. stibiat. dosibus parvis adhibitus, remedium praebet congruum, praeterea contra affectiones gastricae Emetici instar adhibendus. Sulph. aurat. et Kerm. mineral. contra phthisin pituitosam cum membranarum musocarum in systemate bronchiali insigni laxitate conjunctam, magni erunt pretii, praeterea etiam adversus scrophulosin sub forma Pulv. Plummeri. Richter (l. c. p. 651) connubium Stipit. dulcamar. et Antim. pluries conduxisse, memorat, forsitan tales fuerunt casus, ubi pemphigus exanthemata suppressa v. g. herpetem scabiem, sequitebatur.

§. 30.

Tertiae indicationis loco, regimen congruum atque dietam convenientem praescribenda esse, memoravimus. Aegrotus in domicilium aptum, siccum, transferatur, et ne corpus frigus accipiat vel madescat, caveatur. Ruptio vesicarum et nimis subita crustarum solutio haud concedendae. Inter activae inflammationis stadium, omnia esculenta et potulenta

calificientia interdicenda. Alimenta, quae Ccl. Wichmann (l. c. p. 9) aegroto suo porstigi iussit, quam maxime sane congrua erant, e. g. Lac, Oryza, Sagu, Ova gallinacea, panis triticeus, Rad. Dauc. Carot. Tuber. solan. Caro tenera, acida omnino evitare iubebat. Aegrotus si quis est nimis macilentus et debilitatus, iussulis carnis concentratis, gelatinis, cerevisia fortiter Impulo condita, imo mero, inprimis si ulcera maligna, gangraenosa e vesicis orta sint, fruatur. Pro potu lac cum aqua, Decoct. rad. gramin., aven. et corticat., Rad. alth., et duce Cel. Haasc (l. c. p. 34) potio ex hordeo tosto parata (Malztrank) adhiberi possunt. In majori renum alyuamia etiam Decoct. e remediis leniter diureticis praeparatum, potui consueto optime forsam inserviet.

§. 31.

Curâ secundaria postremo majoris momenti exhibet indicationem. Experientia edocti sumus, pemphigum celerrime redire. Debilitate universali, orta, haec topica atque alimenta roborantia requirit, et ut organismus per motionem activam et passivam firmetur. Haase continuum sulphuris usum internum, extrinsecus balnea sulphurata artificialia, et, quod nullius foret, naturalia suadet. Inprimis vero medicus morbos, ad pemphigum praedisponentes, removere, enixe sollicitus.

T H E S E S.

- I. Menses et haemorrhoides ex arteriis profluunt.
- II. Cura per inediam in morbis athenicis saepius utilis.
- III. Tactus sensuum praecipuus.
- III. Febris intermittens causa primaria in nervis quaerenda.
- V. Vulneratio venarum periculosior arteriarum.
- VI. Pulsus debilis et parvus synochaé signum.
- VII. Nil facere, in arte medica difficillimum.
- VIII. Non semper medici est, morbum sanare, imo excitet oportet.
- IX. Verisimile, scleroticam, choroideam et retinam nervi optici exhibere propagationes.
- X. Multum analogiae inter virorum et feminarum genitalia, et quoad structuram et functionem.